SUMMI THEOLOGI D. JOH. GEORG. DORSCHEI,

Prof. Publ. in Acad. Roſtochienſ.

DISSERTATIO

De

Horrenda & Miſerabili

SATANÆ OBSESSIONE,

Ejusdemqve ex obſeſſis expulſione,

multorum votis expetita,

Juventutis ſtudioſæ commodo iterum prodit.

Apud DANIEL Schmatz/Acad. Typ. Witteb.
ANNO M DC LXXII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

CHRISTO DOCTORE ET DUCTORE.

PROOEMIUM.

Quantô, quamque immani odiô infensissimus humani generis hostis, Draco ille infernalis, & Leo subterraneus, adversus homines flagret, verbis qvidem dignè satis explicari neqvit; cumprimis tamen acerbissimum ejus erga genus humanum odium cognoscere possumus, 1. Ex lamentabili Protoplastorum seductione. *Illi enim ad imaginem DEI cùm essent creati, omnibus bonis animæ & corporis affluebant; sed fraude Satanæ circumventi, nobilissimam istam imaginem amiserunt, seque cum omni posteritate in maximam calamitatem injecerunt. Perpendentes itaque boni amissi præstantiam, & malorum consecutorum abundantiam, non possumus non ex eo colligere, quanto quamque immani odio genus humanum Satanas prosequatur.* 2. Ex multiplici Ecclesiæ persecutione. *Diabolus enim descendit magnâ inflammatus irâ Apoc. 12, 12. & subinde varias persecutionum tempestates excitavit, qvibus conquassatam voluit naviculam Christi Matth. 8, 24. Et sicuti à mundi primordio sancta DEI Ecclesia truculentissimis Satanæ telis fuit exposita; ita nec hodiè ab iisdem est immunis, semper manens misera, qvam omnes tempestates petunt. Esai. 54, 11. qvò magis igitur sævit, eò magis odium ostendit.* 3. Ex horribili Diaboli obsessione. *Non enim veretur impudentissimus ille humani generis hostis templa DEI intrare & conspurcare, quemadmodum id nuper non modò audivi; sed ipsemet adspexi, cùm Parchumô Rostochium tenderem, ibique per aliquot dies apud a-*

micos commorarer. Animò ergo concepi, de horrendâ Satanæ obsessione, ejusdemque ex obsessis expulsione, *impræsentiarum hâc occasione disquisitionem instituere. De primo membro Sectio prior aget: De altero Sectio posterior.*

CHRISTUS JESUS, qui opera Diaboli destruxit, adsit nobis suâ gratiâ, ut vera prudenter adseramus, mala audacter refellamus.

SECTIO PRIMA

exhibens

Satanicæ obsessionis conditionem.

THEOREMATA.

I. *Obsessio Satanica est actio Diaboli, quâ ex permissu DEI ad peccandum homines instigat, eorumque corpora occupat, ut salutis æternæ jacturam faciant.*

II. *Estque vel spiritualis vel corporalis.*

III. *Spiritualis est, quâ Diabolus ita homines impios possidet, ut eos ad omnia peccata perpetranda impellat.*

IV. *Corporalis est, quâ Diabolus homines, tam pios quam impios, ita obsidet, ut in eorum corporibus habitet, eademque excruciet.* Et de hac obsessione potissimum soliciti erimus.

EXPLICATIO.

I. VOcamus nos malum, de quo jam agimus, Satanicam obsessionem, à causa efficiente, quæ est Satan, impurissimus ille Spiritus, de quo Christus concionatur Luc. 11, 14. idque ad differentiam possessionis Spiritus Sancti, qui etiam in cordibus fidelium habitat, 1. Cor. 3, 16. & nos ad omnia bona ducit Ps. 143, 10. Sed de hac obsessione legatur Excell. Dn. D. Danhaveri Scheid- und Absag-Brieff/ parte 1. quæst. 5. p. 47.

II. Solet quoque *Possessio* dici, quia Satanas non simpliciter obsidet homines; verùm etiam cum imperio eos possidet, ut ad

autum suum iis possit uti, in quantum vid. divinæ permissionis limites id concedunt. Græcis δαιμονίζεσθαι est à Diabolo possideri. Hinc obsessi Δαιμονιζόμενοι, Dæmoniaci dicuntur. Appellantur præterea ἄνθρωποι ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ Marc. 1,23. & 5,2. i. e. homines, qui à Spiritu immundo reguntur & ducuntur. Veneranda Antiquitas vocat eos Energumenos ex Luc. 8,29. quia Diabolus per obsessos operatur & agit. Item Arreptitios, quod à Satanâ corripiantur.

III. Describitur autem obsessio in datâ generali definitione *à genere & differentiâ. Genus est actio*, quia tota obsessio respectu Diaboli in actione consistit. *Differentia desumitur 1. à principio seu causa eff.* Sicut enim Diabolus omnis mali causa est: ita etiã obsessionem perficit. Accipimus autem h. l. vocem Diaboli non ἀτόμως & exclusivè pro uno aliquo Spiritu maligno, ut Matth. 25. v. 41, sed συναγωγικῶς & collectivè pro totâ Diabolorum catervâ, ut Luc. 8. 12. Act. 10. 38. Ephes. 6,12. cùm non unus Diabolus, sed plures obsessionem peragant. Marc. 5, 9. Gerh. comm. in 1. Pet. ep. pag. 895.

IV. Obsidetne ergò Satan homines pro lubitu? nequaqvam. Hinc addimus, *quòd id fiat ex permissu Dei:* videns enim Deus hominem præfractè reluctari Spiritui Sancto, ex justo judicio permittit Diabolo, ut spiritualiter hominem obsideat, & de peccatis in peccata ducat, sicuti id Judæ proditori contigit. Luc. 22. v. 3. Deinde etiam ob peccata hominum Diabolo concedit, ut quosdam homines corporaliter possideat, quorum exempla passim sunt obvia: nisi enim Deus justissimus ei laxaret habenas, nequaqvam talem tragœdiam instituere posset. Si absqve venia gregem porcorum non audet invadere Luc. 8,32. Si Jobum externè absque Dei voluntate non potest affligere, Job. 1,12. cap. 2,6. Si hominum capillos absque Dei permissu nequit inflectere Matth. 10. v. 30. quantò minus, ut hominem intret & cruciet. *Voluntatem nocendi habet, non potestatem*, scribit August. in Psal. 103.

V. 2. *A subjecto*, quod est homo. Licet enim Satanas brutorum quoque corpora & alia quandoq; obsideat, eam tamen obsessionem nos h. l. non attendimus, ideoque eam ad solos homines restringimus, 3. *A formâ seu modo*, qui est, cùm Diaboli ad peccan-

ctum instigatio, tum ejusdem corporum humanorum occupatio. Ex primo obsessio spiritualis, ex altero corporalis nascitur, de quibus postea seorsim. 4. *A fine ultimo.* Nam ideò Satanas obsidet homines, ut vitæ æternæ naufragium faciant, licet non rarò intentione suâ, præsertim in corporalibus obsessis, excidat. Prætendit quidē nonnunquam honestas obsessionis causas. Hilarioni enim interroganti, quare ausus sit ingredi puellam Dei, respondit: *ut servarem eam virginem.* Hier. in vita Hilar. Corn. à Lap. ad act. 19. p. 310. Tyræus par. 2. Disp. de Dæmoniacis c. 29. p. 86. Sed Hypocrita maximus condolentiæ pallio, ut basiliscus, suam crudelitatem tegit. Sein endlich Absehen heist: *ἀπώλεια.* Verderbung und Verblendung der armen Seel/und dero geistliche Besitz/ait Danhaverus l. c. p. 117.

VI Dispescimus obsessionem Satanæ in spiritualem & corporalem: de duplici enim obsessione tantummodo Scriptura loquitur, ideoque juxta verbi divini ductum ita distribuenda venit. Sunt, qui tres species obsessionis constituunt, sed quia tertia, quâ spiritualem & corporalem obsessionem conjungunt, distinctam speciem non dat, & ex conditione subjecti, in quod concurrunt, tantummodo dependet, noluimus hanc tripartitam divisionem usurpare.

VII. Spiritualem depingimus 1. *à Principio.* Diabolus enim est fons & autor omnis peccati Joh. 8. 44. 1. Joh. 3, 8. Sicut primos parentes ad peccandum sollicitavit; ita nec hodiè ab isto studio quiescit. 2 *A subjecto,* quod ~~dant~~ sunt homines impii, operationi Spiritus Sancti resistentes. Augustinus docet tract. 6. in Joh. Christum id figuratè indicasse, Dæmonibus, ut in sues irrumperent, permittendo. 3. *A formâ seu modo:* Obsessio enim hæc nihil est aliud, quàm Diaboli ad peccandum persuasio. Ii ergò sunt spiritualiter obsessi, qui à Satanâ reguntur, & peccatis delectantur. Eorum obsidet Diabolus intellectum, ne lumen Evangelii videant, &, quæ ad salutem ipsorum faciunt, intelligant, 2. Cor 4, 4. Obsidet eorum voluntatem, ut malis consentiant, appetitum, ut venenatas peccatorum delicias summa cum voluptate desiderent. Obsidet eorum cor, ne credant, aures, ne verbum Dei audiant, oculos, ne opus Dei spectent, linguam, ne orent, vocem, ne Deum laudent. Obsidet eorum manus, ne aliquid boni agant, pedes, ne in viam justorum ambulent

bulent

bulent, totum corpus, ee sacrificium Dei fiat. Misera est conditio eorum, qui corporaliter sunt obsessi; sed multò pejor illorum, qui spiritualiter à Satanâ possidentur. *Ista* quidem *est horribilior, cùm in sensus incurrat; hæc tamen est gravior & periculosior*, inquit Gerhardus in Isag. p. 620. Sed de hac obsessione legatur Harm. Chem. cap. 65. pag. 1208. Danh. l. c. quæst. 7. p. 705.

IIX. Corporalis itidem describitur 1. *à Principio:* in eo enim spiritualis & corporalis conveniunt. Errant ergò, qui id adscribunt animabus à corpore separatis. V. Tyræus par. 1. de dæmoniac. cap. 1. p. 5. 2. *à Subjecto*, quod constituunt non solum homines impii; sed etiam homines pii, cùm nonnunquam contingat, ut ex sanctissimo & justissimo Dei consilio & judicio probi quoque homines à Satanâ possideantur. Impios Deus Satanæ obsidendos tradit, ut puniantur & corrigantur; pios autem, ut peccatorum fœditas indigitetur, & eorum fides exerceatur. de quibus fusius in quæstionibus. 3. *A modo.* Nam *primò Diabolus in corporibus habitat.* Hinc rectè dicunt *Scholastici*, quòd obsessio notet *intimam & substantialem præsentiam Diaboli in obsessis, quodque Dæmones corpora obsessorũ substantialiter intrent.* Occupant autem corpus vel *totaliter*, cùm id totum permeant & afficiunt, vel *partialiter*, cùm artus sibi quosdam vendicant, ut linguam Marc. 5, 12. Linguam & oculos Matth. 12. 22. &c. *Deinde corpus male excruciat*, sicut id ex historia evangelica patet Matth. 9. 32. cap. 15. 22. Marc. 9. 18. Luc. 8, 27. aliisque exemplis, quæ magno numero adducit Tyræus par. 1. disp. de Dæm. cap. 4. p. 10. Testantur id obsessi Parchumenses, qui incredibilibus sunt expositi cruciatibus, ut *αὐτοψία* docet. Affliguntur vero obsessi non modo externè, sed & internè, ubi tales dolores sæpè sentiunt, ut vix animam ducere queant. *Non igitur satis est*, inquit Tyræus l. c. quæst. 2. p. 7. *Dæmonium hominem intrasse, ut Obsessus dicatur, requiritur prætereà, ut in eundem sæviendi vel agendi à Deo obtinuerit facultatem.* Notanter quoque Dannhaverus l. c. p. 202. ex Tyræo monet, daß man die verwandte und vorhergehende Actus und Händel des bösen Geistes / von den innerlichen herrschenden Händeln des bösen Geistes wol unterscheiden müsse. Sæpissimè enim & quàm miserrimè extrinsecus affligit Diabolus hominem per adsistentiam, non per informationem, ut nauta navem movet, sicut id

sum-

summo dolore Jobus & Paulus experti sunt, quos nemo sanus pro obsessis habebit. Non igitur inferre licet, hic à Satanâ excruciatur, Ergò ab eo possidetur, minime gentium: hic enim dolor ab adsistente, non obsidente Dæmone potuit infligi. Quocirca observatione dignissimum est, ad veram obsessionem requiri & *inhabitationem & excruciationem*, ut Satanas homini αὐτοπροσώπως insit, atque noceat.

QUÆSTIONES

QUÆSTIO I.

An obsessio Satanæ revera detur?

IX. DE obsessione Satanæ hactenus disseruimus, ac quid, & quotuplex sit, exposuimus; omnis autem tractatio ne unius assis esset æstimanda, si Dæmones corpora humana non ingrederentur & obsiderent. Probandum itaque est nobis, quod vere illud fiat. Idipsum comprobat 1. *Scripturæ evidentia*. Sacræ literæ non modò sæpissimè obsessorum mentionem faciunt, Matth. 4, 24. cap. 8. 16. Matth. 16. 17. &c. verum etiam integras de iisdem historias referunt, qvàm crudelissimè à Satanâ fuerint exagitati. Matth 15. 22. Luc. 8. v. 29. Marc. 9, 18. 20. quàm ferocissimè in alios sævierint. Matth. 8. v. 28. & quàm potentissimè à Christo & Apostolis fuerint restituti. Marc. 1, 27. Act. 16, 18. 2. *Antiqva & recens historia.* Si enim è re esset, magnum obsessorum numerum ex historicorum monumentis colligere possumus; sed quia exempla passim apud historicos ecclesiasticos occurrunt, nolumus huic rei operam nostram impendere. 3. *Ipsa quotidiana experientia.* Testatur id mulier quædam, quam ego Havelbergæ obsessam vidi. Testantur id pueri, qui Parchûmi à Satanâ obsidentur, & miserè torquentur. Testantur id alia adhuc spirantia exempla, quæ quidem non oculis, auribus tamen percepi. *Qvòd maligni Spiritus homines ingrediantur, & obsideant, negare non potest*

test, nisi qui sensibus, quos habet, non putat habendam fidem: & omnem præteritorum temporum negandam historiam, & , quæ sacris literis continentur, in dubium revocanda, scribit Tyræus par. 1. disp. de Dæm. c. 1. pag. 3. Notandum hoc contra eos, qui obsessionem Satanæ vel morbis vel stellarum influxibus improperant, ut Aristoteles in problem. Sect. 10. 271. & medicus ille apud Philostorgium lib. 8. c. 10. Videntur etiam aliqui fuisse inter ipsos Pontificios, quos Salmero disp. 8. in 1. Pet. ep. castigat: *Sunt, qui putent,* scribit, *non esse Diabolos, à quorum insidiis propterea sibi minus caveant, & ipsi astutissimi hoc conantur persuadere, quò plus nocere valeant, & suggerunt rationes sophisticas, quò minùs simplices & incauti credant. Cùm vident arreptitios, cernuntque ab eis admiranda quædam fieri, melancholiæ tribũnt, aut menstruis, aut stellarum influxibus, atque ita ipsimet sibi Diaboli sunt, à quibus isti illuduntur, cùm tamen omnis secta Dæmones esse hostes hominum profiteatur.* Confer. Ambr. Catharinus in c. 5. v. 8. 1. Pet. Sed nec morborum tanta vis, nec tantus stellarum influxus datur, ut ista causari possint. Vid. Tyræus l. c. & Dannh. l. c. quæst. 3. p. 36.

QUÆSTIO II.

An obsessi in Ecclesia habeantur?

X. REperti sunt olim perversi judicii homines, qui quidem obsessionem Satanæ non sunt inficiati, eam tamen è pomæriis Ecclesiæ proscripserunt. Vid. Raph. la Torre disp. 28. Tostat. Abulensis q. 124. in Matth. 8. sed contrarium patet 1. *ex inductione exemplorum.* Ephesus certè & Philippi erant urbes, in quibus vera Ecclesia locum habebat; sed isti loci ab obsessis non fuere immunes. Act. 9. 16. c. 16, 16. Ita adhuc hodiè in nostrâ Ecclesia obsessi inveniuntur. 2. *Ex obsessione piorum.* Pios quandoque homines Satan ingreditur; illi autem in Ecclesia degunt, & sunt vera Ecclesia membra. Præclare hic observat Dannhaverus loc. all. p. 42. quòd in

Ecclesia tamen non tam frequentes sint obsessi, quàm in locis à verâ religione alienis. Quanta caterva obsessorum in Papatu fuerit, nemo non novit; luce autem Evangelii ortâ, liberata est nostra Germania aliquantulùm ab isto malo. *Ante annos centum, quo tempore nondum hæresis Lutheri nata*, fatetur ipse Martinus Delrio l.3. disquis. mag. q.3. Sect.5. p.405. *Germania Dæmonum manifesta & crebra infestatione plenissima fuit.* Inde etiam originem traxit, quòd omnis propè creatura utensilis habuerit suos appropriatos exorcismos, quibus Diabolus est expulsus & profligatus.

QUÆSTIO III.

Num veræ obsessionis notæ dari possint?

XI. ARduum admodum & difficile est illud præstare, quemadmodum id facilè colligere possumus, 1. *Ex mentis nostræ cæcitate.* Si enim ea, quæ ante pedes sunt, sæpè nos subterfugiunt, quanto magis in his arduis & reconditis aberrare proclive est, cùm etiam præstantissimi & experientissimi Medici sæpenumero obsessionem pro rabie, & maniam pro obsessione venditent. VVierus lib.3. de præst. Dæm c.19. p.360. *quidam*, scribit Fernelius l. 2. de abd. rerum causis c.16. p.372. *non ita pridem qvùm per æstus nocte vehementer sitiret, è somno surgens; potu non invento obvium malum fortè prehendit, fauces sibi quasi manu præcludi strangularique sensit, simulque à subeunte Dæmone jam obsessus; visus est in tenebris videre se à prægrandi nigerrimoque cane vorari, quæ postea integra mente restitutus nobis ordine recensuit. Hunc non pauci ex pulsu, ex calore & scabricie linguæ febricitare, ex vigiliis & mentis perturbatione simpliciter delirare judicabant. Juvenis alius familiæ eqvestris paucos ante annos corporis concussione, & qvasi convulsione ex temporum intervallis laboravit, qvâ nunc solum sinistrum brachium, nunc dextrum, interdum etiam digitum unicum, aliàs crus alterum, aliàs utrumque, aliàs corporis truncum*

tantâ

tanta celeritate exagitaret, vix ut à ministris quatuor decumbens cohiberetur. Caput autem inconcussum jacebat, lingua & locutio libera, mens sana, omnesque sensus integri, vel in convulsionis ferocia. Decies minimùm quotidiè corripiebatur. In intervallis sanus, sed labore confractus. Vera epilepsia judicari poterat, si mentis sensuumque læsio accesisset. Peritissimi quique adhibiti Medici convulsionem epilepsiæ finitimam â maligno venenatoque vapore spinæ dorsi impacto censuerunt, è qvo vapor in eos nervos emanaret, qui à spinâ in artus quoquoversum, non autem in cerebrum disseminantur. Et mox ibidem p. 373. *Qvid quæso,* ait, *cur tam accommodatis remediis malum non cessit? Quoniam omnes longè aberramus à cognitione veri. Nam mense tertio primùm deprehensus Dæmon quidam totius mali author, voce insuetisque verbis ac sententiis cùm Latinis tùm Græcis (qvanquam ignarus linguæ Græcæ laborans esset) se prodens. Is multa assidentium, maximèque Medicorum secreta detegebat, ridens, quòd eos magno periculo circumvenisset, qvodqve irritis pharmacis corpus hoc penè jugulassent.* Conf. VVierum lib. 3. de præst. Dæm. c. 12. p. 239. Apostoli quidem & alii sancti viri in primitiva Ecclesia statim dæmoniacos cognoscere potuerunt, uti exemplum Pauli declarat Act. 16, 16. sed hæc dona singularia, Evangelio jam satis confirmato, exspirârunt. Refert quidem Tyræus p. 2. c. 26. n. 12. Pag. 72. qvòd Parthenius & Theodorus Archimandrita ex divinitùs illis facta revelatione obsessos quosdam manifestaverint; sed *non satis id probat.* ait Dannhaverus l. c. p. 3. quia autores ab eo allegati sunt dubiæ autoritatis.

XII. 2. *Ex summâ Diaboli calliditate.* Est enim μυριότεχνος ideoque multis modis hominibus imponere & fucum vendere callet. 3. *Ex hominum quorundam perversitate,* qui se obsessos fatentur, cùm â Satana non possideantur, uti Martha illa, de qua prolixè Thuanus lib. 12. in initio, & Danhav. p. 6. Conf. VVierum lib. 3. de præst. Dæm. c. 20, 21. & 22. in quibus aliquot simulatæ obsessionis exempla recenset. Interim tamen dantur quædam notæ, ex quibus obsessionem Satanæ possumus perspicere: quòd si enim omnibus signis destituti essemus, nemo obsessus certò esset dicendus, nullum etiam remedium obsessis, cum laterent, posset adhiberi. Multa autem à multis recensentur signa. Bald. cas. consc. l. 3. c. 3. cas. 1. pag. 617. Tyræus par. 1. c. 11. c. 17. c. 23. &c. Jacob. Rex Angliæ in Dæmo-

nolog.l.3.c.4. Nos præcipua delibantes, in secundaria & primaria ea distribuemus. Ex illis aliqualiter; ex his verò magis probabiliter obsessio colligi potest.

QUÆSTIO IV.

Quænam sint signa secundaria obsessionis?

XIII. Multa quidem conglomerari possent; præprimis verò obsessio innotescit, 1. *Ex horrenda vociferatione.* Altos enim plerumque clamores & homini insolitos ululatus edunt obsessi, ut Marc. 5. 5. videre licet. *Sic ex latratu deprehensi sunt utriusque sexus multi obsessi in Alexandria*, scribit Tyræus l.c. cap. 25. p. 66. ex Sigeberto circa annum Domini 517. Sed iste clamor non debet proficisci ex morbo aliquo vel alio casu. 2. *Ex Dei blasphematione & proximi cavillatione*, quando ab illis non afflicti magnis blasphemiis onerant Deum, & plaustra convitiorum in proximum insontem evomunt, quem tamen antehac magni fecerunt. Non obsessi quandoque id etiam quidem agunt, Apoc. 16. 11. sed afflicti & læsi ex indignatione & malitia. Epileptici autem ex rationis perturbatione & mentis infirmitate illud perficiunt. 3. *Ex gestuum deformatione.* Solent enim nonnunquam mores ferocinos induere, vultum teterrimè pervertere, oculos horribiliter circumagere, immodicos cachinnos tollere, dentibus stridere, & spumare, vestes abjicere & lacerare, ut constat ex Marc. 9. 20. Luc. 8. 16. Furibundi & ægroti idem quandoque faciunt: sed morbus est in causa. 4. *Ex inhumana comessatione*, cùm præter naturã cibum capiunt. *Theodor, in hist. sanct. patrum Sect. XIII. meminit cujusdam, qui quamvis in die 30 gallinas comederet, appetitionem tamen, ut ipse loquitur, non poterat extinguere satietate, curatus parvâ aliquâ gallinæ particula fuit contentus. Alius trium modiorum panes comedere poterat.* Palladius in vita Abbatis Macarii sect. 17. Tyræus l.c. p. 67. Habentur quidem multi helluones, qui non sine stupore spectantium vorant & potant, sed consuetudine hunc morem acquisiverunt. 5. *Ex corporum excruciatione.* Nam infernalis tortor eorum corpus solet aliquando extendere,

tendere, contrahere, projicere, trudere, ad lapides & ligna appellere, in ignem & aquam dejicere, aliisque modis affligere, ut patet ex Matt 15,22. Marc. 9. 18. 20. Cruciatus ingentes etiam non obsessi quandoque sustinent; sed à morbo vel vulnere oriuntur. Medicorum itaque erit, ut constitutionem corporis probè in dignoscendis dæmoniacis perpendant. 6. *Ex insolita corporis & proximorum læsione.* Plerumque siquidem seipsos macerant & vulnerant, alios autem minis terrefaciunt, verberibus afficiunt, lapidibus petunt, aliaque ratione damnum iis inferunt, ùt constat ex Matth. 8. 28. Marc. 5. 5. Act. 19. 26. Insani & ægroti hoc etiam affectu nonnunquam laborant; sed rationis perturbatio & animi indignatio in causa sunt. 7. *Ex admiranda corporum motione.* Mirificè enim saliunt, loca sine mediis inaccessa adscendunt, & quàm celerrimè currunt, cùm tamen id nec ante nec post paroxismum præstare valeant. *Vetula quædam Mediolanensis à Satanâ obsessa, dixit, se qvoscunque equos cursu æquare posse, eorumque dorsa sine adminiculo transilire.* Tyræus l. c. p. 67 Νυκτοβάται quicquid faciunt, per media agunt. Cursores naturli potentiâ ad cursum feruntur, & consvetudine proficiunt. 8. *Ex rerum gestarum oblivione,* cùm nihil eorum meminerunt, quæ dixerunt atque fecerunt, Rationis enim usu recuperato corporis quidem languedinem sentiunt, quid autem eis acciderit, nesciunt. Naturaliter quidem fieri potest, ut alicujus rei obliviscàmur; sed obsessorum oblivio à naturali oblivione admodum dissentit, cum sæpius recurrat, & in memorablibus rebus accidat. De his signis pronunciamus, quòd quidem non sint omninò certa, indubitata & infallibilia, quia etiam extrinsecùs ex parte produci possunt, *si tamen non ex infirmitate, aliave causa naturali; aut tristitia aliqva profecta esse constaret; nec hominum qvorundam nocendi libidine allata; multa qvoque ex iis concurrerent, haud leve argumentum subministabunt;* ait Tyræus l. cit. c. 25. p. 68. Cautio igitur adhibenda.

QUÆSTIO V.

Quot sint signa primaria?

XIV. PRæcipuè tria: 1. *est abditarum rerum notitia.* Haud rarò obsessi-

sessi solent, quamvis rudes & indocti fuerint, de reconditis rebus, quæ tamen captum & notitiam obsessorum fugiunt, sermonem instituere, & futura prædicere, quæque in procul dissitis locis geruntur, exponere. Ut dæmoniacus ille sylvestris Marc. 5. v. 7. & Pythonissa Philippensis Act. 16. 16. *Philippus in epistolis memorat, mulierem dæmoniacam à se in Saxonia visam, quæ nesciens legere & scribere, Græcè tamen & Latinè locuta, bellum Saxoniæ prædixerit his verbis: ἔσαι ἀνάγκη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ* Bald. cas. l. c. pag. 619. 2. Gerh. Isag. p. 612. Sic juvenis Fernelianus secreta Medicorum pandit, de quo supra th. 11. Quod autem ista non à bono, sed à malo Spiritu proferantur, ex spurcissimis sermonibus & nefariis actibus, quæ insuper ab illo Spiritu eructantur & perpetrantur, apparet. A divinatoribus multa quidem arcana revelantur: sed illa ab adsistente non obsidente Spiritu proferuntur: vates enim loquuntur, quæ à dæmonio acceperũt, ideoque intelligunt, quæ prædicunt & annuntiant. Familiarium Spirituum instructio à revelatione obsessorum facilè potest secerni, cum dolorem adjunctum non habeat, & volentibus eveniat. Divinatio, quæ fit in agone, longè etiam ab istâ differt. Circumstantiis itaque pensiculatis Dæmoniacorum notitia ab aliorum cognitione distingui potest.

XV. 2. *Linguarum scientia.* In more enim positum habet Satan, ut per obsessos variis loquatur linguis. Magnum idcircò obsessionis indicium præbet, cum homines ex improviso peregrinâ utuntur linguâ, quam nec didicerunt nec audiverũt unquam, quã etiam discedentibꝰ Dæmonibus non amplius norunt, nec quid protulerint, meminerunt. Ex eo innotuit mulier Saxonica & juvenis Fernelianus, de quibus antea. *Ad eundem modum deprehensus est olim ille Dæmon, qui Candidatum quendam Constantii Imperatoris possedit, quamvis enim Candidatus Francam tantùm & Latinam nosset, tamen B. Hilarioni Syro, quô ipsum rogabat, sermone respondebat; & quidem ita perfectè, ut non stridor, non adspiratio, non idioma aliqvod Palæstini deesset eloqvii.* Hier. in vita Hilarionis. Tyr. p. 1. c. 24. p. 65. VVierus de præst. Dæm. l. 4. c. 28, p. 473. Apostoli quidem variis linguis etiam fuere instructi, at visibiliter Spiritu Sancto sunt donati. Actor. 2, 2.

liberè

libere loquebantur, & quæ pronunciabant, intelligebant, quod de obsessis neutiquam potest. *Quocirca*, inquit Tyræus l. all. *non est audiendus Lev. Lemnius*, qui l. 2. c. 2. de occ. nat. mir. p. 141 docet, *melancholicos & phreneticos ex frequentissima humorum ebullitione, & vehementi Spirituum exagitatione posse variis linguis loqui; quamvis ante earum nullam norint. Quomodo quæso, in ore est, quod non fuit in mente, & in mente quomodo erit, quod non fuit aliquando in sensu?* Sed objicis, Dæmones id extrinsecus efficere posse, sicut Organædus vocale reddit organum, licet organo non insit. Danhav. l. c. p. 134. Dicimus enim 1. nos non immeritò id in dubium vocare, quia Satanas homine invito linguam movere nequit, nisi eam occupaverit. Linguam autem quando occupat, possidet hominem. Sicut enim is pro dæmoniaco ab Evangelistis habetur, cui Satan linguam constrinxerat, Marc. 5. 12. ita etiam obsessus censeri poterit, per quem Diabolus loquitur, cumprimis si alia quoque signa appareant. 2. Posito, dæmones id posse perficere, nunquam tamen id factum legimus. Quòd autem per obsessos peregrino idiomate sint locuti, ex allegatis exemplis perspicitur.

XVI. 3. *Præternaturalis potentia.* Sæpenumerò enim accidit, ut tantas operas possint perficere, tanta onera sustinere, quæ tamen humani corporis vires longè superant. Sic ille dæmoniacus catenis ligari non poterat, quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus dirupuisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare. Marc. 5, 2. 3. pertinet huc robur illius, *qui à Nicetio, Trevirensi Episcopo, jussus ex templo extrahi, columnam ita[illegible] validè apprehendit, ut loco moveri non potuerit, etiam à decem viris* Greg. in vita Nicetii. Baronius tom. 7. ad ann. 530. fol 146. Tyr. l. c. p. 67. & 102. Habentur quidem multi viri robustissimi, ut Simson, Hercules, Milo, Maximinus, C. Junius &c. Sed illud robur per naturam habuerunt cum recto rationis judicio, idque paulatim crescentibus annis accrevit, excepto unico Simsone, qui divinitùs singulari corporis robore fuit armatus. Obsessi autem plerùmque infirmis sunt lateribus à natura: at insperatò adeò roborantur, ut robustissimo homine fiant robustiores. Nil dicam de infantibus & pueris, quorum vires Parchumenses experiuntur.

De

De his signis pronunciamus, quòd satis certa sint ad obsessionem probabiliter evincendam, cumprimis quando & alia accedunt. Nec refert, quòd etiam extrinsecùs produci à Satanâ possint; aut enim raro, aut nunquam id contingit. Interim in judicio de Dæmoniacis magna requiritur cautio; omnium autem maximè circumstantiæ probè sunt observandæ, ne maniam pro obsessione venditemus, quia magna hic datur convenientia; constitutione verò corporum cognitâ ex datis signis judicium fieri potest. Cavendum præterea est, ne ex horum signorum absentia obsessionem negemus, v.g. Hic non pandit arcana, non loquitur variis linguis, non pollet præternaturalibus viribus. E. pro obsesso non est habendus: Diabolus enim se abscondere potest, & nullum indicium suæ præsentiæ præbere, quanquam id rarissimè faciat. Quicunque igitur dæmonia in obsessis explorare tenentur, complexionem hominis inquirant, circumstantias probè perpendant, & maturum ex datis signis judicium ferant.

QUÆSTIO VI.

Quid de Pontificiorum peculiaribus signis statuendum?

XVII. EA hoc ordine recenset Tyræus par. 1. cap. 26. p. 69. *Sacrarū rerum hic duplex est usus. Nunc obsessi quædam jubentur proferre: nunc quædam ipsis silentibus adhibentur. Prioris generis sunt invocatio divini nominis, aut alicujus piæ orationis recitatio. Si enim hæc facere recusent, de Dæmonio non sine causâ suspecti sunt. Posterioris generis sunt, si concutiantur, terreantur, impatientes fiant, blasphement, postquam Sanctorum ipsis adhibitæ reliquiæ: aut admotæ cereæ imagines, quas Agnus Dei dicimus: aut crux fuerit fronti impressa: aut aqua lustrali aspersi: aut sanctissimum Christi corpus, in Eucharistiæ Sacramento exhibitum: aut etiam in aurem ipsorum peregrinâ, quam non norunt, linguâ, insusurratum fuerit illud: Deum, qui te genuit, dereliquisti; & oblitus es Domini Creatoris tui: Denique, si exorcismos intentas, vel non ferant, vel impatienter ferant. His & similibus signis Dæmones prodi dubium nullum est.*

XVIII. Sed Diabolus 1. non rogatus solet nomen Dei & Christi usurpare, & Psalmos cantare, aliaq; pietatis munia obire, ut Deum hominibus suspectum reddat, seque eorum mentibus insinuet. Sic Christum confitentur Dæmones. Marc. 1, 24. Luc. 8, 28. ut hominibus ansam dent cogitandi, ac si à partibus eorum staret, sicuti Pharisæi autumabant. Narrat ipse Tyræus l.c.p.65. Dæmonem quendam Cantica Canticorum à principio usque ad finem per os puellæ cujusdm edidisse. Reduci hic etiam potest historia, quam Danhaverus. l. c.p. 135. de quodam puero recenset, qui nullo modo adduci potuit, ut orationem dominicam oraret, & Symbolum Apostolicum recitaret, qui tamen non fuit obsessus. 2. reliquias Sanctorũ non fugit Dæmon, neque fastidit, quia sanctissimum contrectavit. Matt. 4, 5. ac cum Michaële Archangelo de corpore Mosis dimicavit Jud, ep. v. 9. 3. Agnum Dei, cruces fronti impressas, & aquam lustralem nihili facit Diabolus, quæ sunt inventa hominum. 4. Sacramentum Eucharistiæ, vel potius panem eucharisticum non curat Satanas, quia extra usum sacramentalem purus panis est, ut alibi docetur. 5. Verba illa insusurrata non terrent Dæmones, quia jam ante noverunt, se esse Spiritus maledictos. 6. Exorcismum nos meritò rejicimus, ut sectione secundâ demonstrabimus, ideoque ex illo præsentiam & inhabitationem Spirituum malignorum cognoscere non licet. Sæpissimè tamen ex istis signis Dæmones in Papatu produntur. Falli enim se patitur Diabolus, ut fallat, non ista signa horrescit, sed ut pontificios in superstitione confirmet, intendit. Sanctorum contactus, de quo Tyræus p.70.n.5. quàm detestabilis sit Dæmonibus, exemplum Christi Matth. 4. 8. abundè declarat.

QUÆSTIO VII.

An suum in corpora humana ingressum externis quibusdam argumentis Spiritus nequam prænuncient & significent?

XIX. SAcerdotale Romanorum cap. 1. de Exorcismis quatuor enumerat

merat signa; *Docet enim, interdum Dæmones se sub forma externa, quæ terrorem incutiat, exhibere, priusquam homines invadant: interdum vento & tumultu præsentiam suam testari: tertiò prius affligere, vel aliquâ molestiâ afficere: quartò, aliquando somniantibus mirabiles rerum species ingerere.* Verum hæc signa non sunt perpetua, & rarò eveniunt, modò indicat, modo occultat suum ingressum Diabolus, ideoque nihil hic certi determinare licet. Benè Tyræus: *Quemadmodum necesse non est, ut sub spectabili forma in hominibus sint: ita necesse non est, ut, si homines ingredi velint, id externis argumentis significent.* Plura qui desiderat, ipsum Tyræum adire potest, qui p.1.c.11. fusius id persequitur, ubi etiam causas indicat, ob quas nonnunquã signis aliquibus suum ingressum Satanas declaret, nim. ut hac in parte Deum, qui tonitru, & Angelos, qui terræ motu suam præsentiam significarunt, Exod.20.18.1. Reg.19, 11. Matth.28. 2. imitetur. Deinde ut hominem perturbet, & eò magis discruciet. Conf. Bald. cas. consc. l.3.c.3.casu.1.pag.618.

QUÆSTIO VIII.

Per quam partem corporis Dæmones ingrediantur homines?

XX. PEr os ingredi probari quidem posset 1. *Ex ingressu*, quia unà cum cibo & potu, in quo latuerunt, hausti sunt. Gregorius, quisquis ille tandem sit, lib.1.Dial.c.4. hoc exemplum suppeditat: *Quadam die,* inquit, *una Dei famula hortum ingressa est; quæ lactucam conspiciens concupivit, eamque signo Crucis benedicere oblita, avidè momordit, sed arrepta à Diabolo protinus cecidit. Cumque vexaretur, eidem patri Equitio (Abbas hic erat provinciæ Valeriæ) sub celeritate nunciatum est: ut veniret concitus, & orando succurreret. Moxque hortum idem Pater ut ingressus est, cœpit ex ore ejus, quasi satisfaciens, ipse, qui hanc arripuerat, Diabolus clamare dicens: Ego quid feci? Ego quid feci?*

Sede-

Sedebam ibi super lactucam: venit illa, & momordit me. Cui cum *gravi indignatione vir Dei præcepit, ut discederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet, qui protinus abscessit, nec eam ultra contingere prævaluit.* Hinc *profectam volunt consuetudinem*, scribit Tyræus p.22. *quæ apud Catholicos est, ut, si quando oscitent, os signo Crucis muniant: quasi hac crucisignatione Dæmonum in corpora ingressus probibeatur.* 2. *Ex egressu*, quia sæpè sub muscæ aut araneæ specie egressi sunt ex ore. Sed quia Diabolus Spiritus est, certo ostio non indiget, cùm totum corpus hominis ei sit pervium. Rectè igitur censet Dannhaverus l.c.p.81 *curiosum esse disputare, an per os, an per aliud organum ingrediatur Satan.* Curiosum etiam est quærere, in quâ corporis parte Dæmones latitent: Spiritus enim sunt, nec locò circumscribuntur.

QUÆSTIO IX.

Quorum ordinum sint Dæmones, qui possident homines?

XXI. ORdinem esse inter Diabolos, ex Scriptura satis quidem colligi potest; quis autem verus ordo sit, ignoramus, ideoque nemo scire potest, ex quibus ordinibus sint, qui hòminum corpora ingressi sunt. Et licet Tyræus c.12.p.32. rectè scribat, *quòd promiscue ex omnibus ordinibus humana corpora ingrediantur*, in eo tamen hallucinatur, quòd haud falli multum dicit, qui superiorum ordinum Spiritus ex duobus deprehendi posse existimant: *ex magnitudine gravitateque malorum, quæ obsessis inferunt; & præterea ex difficultate, quam in ipsis ex hominum corporibus exigendis experiuntur Exorcistæ.* Nam ipse fatetur, *vix in obsessis operationes notari posse, quas non minimus quisque Dæmonum, si modò velit, & superioris potestate non probibeatur, perficere valeat.* Deinde non superiores tantùm difficulter domicilum suum relinquunt; sed etiam inferiores: & sicut non pro lubitu obsessos affligunt; ita nec pro lubitu in hominibus commorantur; sed Deus ipsis certum terminum præscripsit. Ridiculum præterea se præbet Tyræus, tantam efficaciam exorcismo attribuendo, ac si per eum cogi possent, ut ordines suos atque classes proderent, cum tamen

sint

ſint Spiritus mendaces, ſicut agnoſcit, & ad id fatendum nemini obligentur. Submittit ſe quidem nonnunquam Diabolus eorum execrationibus, ut in ſuperſtitione confirmentur; ſed utrum verum fateatur, nemo non ignorat.

QUÆSTIO X

An plures Dæmones unum hominem posſidere posſint?

XXII. Vtique: Illud enim elucescit, 1. *Ex Diabolorum naturâ*: nam quia Spiritus ſunt, loco non continentur. *Ubi unus eſt, ibi mille eſſe poſſunt.* 2. *Ex ſacra Scriptura.* Maria Magdalena à ſeptem Dæmoniis fuit obſeſſa, Marc. 16,9. Luc. 8,2. Chriſtus ait Luc. 11,26. quòd Spiritus immundus ſeptem ſocios ſoleat aſſumere, & priſtinum domicilium repetere. Dæmoniacum Gadarenum legio Diabolorum, i. e. 6666. occupaverat. Marc. 5,9. Teſtantur autem hoc ipſo, quàm amicè in perſequendis hominibus conſpirent. Errat hic iterum Tyræus cap. 13. dum ſcribit, *Diabolos exorciſmi vi non ſolùm eſſe compellendos, ut dicant, quis ſint; ſed etiam interrogandos, num plures, ne fallent.* Sed nos meritò deteſtamur iſtam curioſitatem, ſcientes, quòd Diabolus tàm callidus ſit, ut prudentisſimo cuiq; ſuis ſermonibus imponere posſit. Chriſtus quidem id egit Marc. 5,9. ſed non ex curioſitate & levitate, ut Pontificii, verùm ut indicaret, partim hominis miſeriam, partim ſuam potentiam. Danh. c. p. 26.

QUÆSTIO XI

Utrum ex pluralitate Spirituum obſidentium tormenta in homine obſeſſo creſcant?

XXIII. Licet Diabolus mille modis hominem affligere posſit, interim probabiliter aſſeri poteſt, quò major ſit Spirituum malignorum copia, quòd eò major reddatur hominis miſeria, ſicut id colligi poteſt 1. *Ex Diabolorum intentione*: Ideò enim ingrediuntur, non ut inhabitent, ſed ut incommodent. 2. *Ex dæmoniaci cujusdam afflictione*, qui à legione Spirituum malignorum obſeſſus quàm miſerrimè vexabatur. Quo pacto autem id agant ſinguli, homini noſſe

nosse non datur. Vid. Tyræus c. 14. p. 35. qui aliquot modos enumerat.

QUÆSTIO XII.

A Quibus immittantur Dæmones?

XXIV. SIcut omne malum pœnæ à Deo proficiscitur: etiam hoc malum à Deo immittitur: Deo enim reclamante, in sues ingredi non audent Diaboli. rectè ergò docet VVierus lib. 3. de præst. dæm. c. 13. p. 342. *Diabolũ nec ingredi corpora pro sua libidine aut arbitrio, nec immitti pro lubitu ab homine posse.* Immittuntur autem Spiritus maligni à Deo in corpora humana vel *immediatè* vel *meditatè! Priori modo* id contingit, quando Deus ex justo judicio Satanæ permittit, ut homines obsideat. *Posteriori*, cùm ad eam rẽ hominũ utitur ministerio. Homines illi aut boni aut mali sunt. Boni fuerunt Apostoli, quibus Deus specialiter indulsit, ut homines Satanæ tradere potuerint, sicut id ipsum demonstrat Pauli excommunicatio, 1. Cor. 3. 5. *1.* Tim. 1, 30. Annumeratur hoc χάρισμα specialibus primitivæ Ecclesiæ donis, quæ post sufficientem Evangelii confirmationem cessarunt. Mali sunt veneficæ, malefici & imprecatores, quibus Deus ex justo consilio & judicio non rarò permittit, ut homines per suas incantationes & execrationes Diabolo obsidendos subjiciant, quemadmodum illud innotescit ex historia, experientia, & confessionis Satanæ atque veneficarum evidentia. Simon magus Dæmonibus subjicere solitus est eos, qui præstigiatorem ipsum dixerunt. Tyræus cap. cap. 16. p. 41. *B. Hieronymus refert in vita Hilarionis, arte Vatum Æsculapii dæmonem in virginem, quam juvenis quidam perditè amababat, fuisse immissum, & miris modis illam dementasse.* Tyr. ib. Anno Christi 1581. vixit in urbe Annonajo regionis Vivaresiæ venefica quædam, quæ multis hominibꝰ multa dæmonia immisit. Delrio lib. 3. disq. part. 1. q. 4. s. 7. Danhav. l. c. p. 122. Cæsarius lib. 5. c. 26. scribit, *iratum patrem filiæ quinquenni, cùm lac commederet, imprecatũ esse, ut una cum lacte Diabolum voraret. Vix verbum ille effatus, à Diabolo occupatur puella, miseramque servitutem usque ad maturam ætatem perpetitur. Similia duo idem Cæsarius habet lib. 5. c. 11. & 12. alterum de uxore, cui maritus: alterum de*

 filio

filio, cui pater Dæmonium imprecatus fuerat. Tyræus ib. p 24. Sic mater quædam filio febricitanti & crebro potanti, ex impatientiâ Dæmonium imprecatur, moxque ille à malo genio corripitur. Id. c. 31. p. 100. De Sagarum præterea veneficiis loquitur urbs Parchumum: fama enim certò refert, pueros istos veneficarum quarundam præstigiis à Satanâ obsidione premi.

XXV. De Satanæ confessione hanc historiam adscribemus ex Theodoreto. *Cùm quædam puella thalamo adhuc contineretur, & repente cæpisset vexari à Dæmone, accurrit pater ad divinum hominem, (Macedonius is erat) orans, & vociferans, & postulans, ut curaretur filia: Is autem, precatus, jussit, ut Dæmon statim abiret à puella. Hic Dæmon dicebat, se eam non suâ sponte fuisse ingressum, sed magnis coactum præstigiis, prodebat quoque nomen ejus, qui coëgerat, & amorem esse causam incantationis. Hæc cùm audisset Pater, non tulit iræ impetum, nec exspectavit, ut curaretur puella; mox omnium Magistratuum summum adit: accusat hominem. Rem negabat, & accusationem nominabat calumniam. Hic autem non alium citabat testem, quàm ipsum Dæmonem, qui minister fuerat incantationis, orabatque judicem, curreret ad virum divinum (Macedonium) atque ejus acciperet testimonium. Cùm verò is diceret, non esse fas, nec justum, ut in loco monasticæ exercitationis haberetur quæstio, dixit pater puellæ, se in judicium ducturum Macedonium, & currens persvasit, & duxit: Magnus igitur Macedonius fungebatur officio Judicis, utens ea, quæ intus habitabat, potestate: Jussit igitur Dæmoni, ut consuetum mitteret mendacium, & totam rei veritate narraret tragœdiam. Ille à maximâ adactus necessitate, & virum ostendit, qui ei magicis carminibus vim attulerat, & ancillam, per quam illa potio puellæ data fuerat.* Theodoretus cap. 13. in Macedonio. Tyr. p. 41. Sic dæmon ex juvene illoHerneliano confessus est, se injectum esse à quodam, cujus nomẽ non efferret. Fernel. de abd. rer. caus. l. 2. c. 16. p. 373. Et licet Diaboli hominibus sint superiores ratione naturæ, ratione tamen gratiæ homines Diabolos superant. Deinde tenendum, quòd Dæmones non coactè, sed sponte se hominibus submittant,

quia

quia ipsis volupe homines exagitare. Confer. Balduini casus consc. lib. 3. c. 3. cas. 2. p. 623.

QUÆSTIO XIII.

Quid Diabolos moveat, ut homines ingrediantur & obsideant?

XXVI. Impellit ipsos 1. *Justa Dei permissio*: Deo enim frena laxante, humana corpora invadunt, ut supra docuimus. 2. *Eorum erga nos indignatio.* Tantô siquidem odiô erga nos homines sunt accensi, ut nos omnes extinctos velint. *Nam cum non possit Deum impetere Satan, in imaginem ejus evacuavit gravitatem, velut si quis iratus* [malus] *imaginem petat, cùm Regem non possit*, ait Basilius M. conc. in Esaitis p. 396. 3. *Regni sui amplificatio*. Hic eorum scopus, ad quem in omni actione collimant, ut quàm plures in æternæ damnationis consortium trahant. Symbolum eorum est: *Utinam omnes pereant*. Confer, quæ habet Tyræus l. c. cap. 15. p. 37.

QUÆSTIO XIV.

Cur infantes & pueri etiam à Dæmone corripiantur?

XXVII. PErmittit nonnunquam Deus justissimus Satanæ crudelissimo, ut infantes & pueros quandoque ingredi & obsidere possit, sicut id historia & experientia docet. Augustinus lib. 21. de C. D. c. 18. de hoc miserabili adspectu ita scribit: *Grave jugũ, filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ matrem omnium usque adeò impleri est necesse, ut ipsi parvuli, per lavacrum regenerationis ab originali peccato, quo solùm tenebantur vinculo, jam soluti, multa patientes nonnulli incursiones Spirituum malignorum patiantur.* Cardanus l. 15. de variet. rerum c. 16. narrat, in orphanotrophio 70. puellas in una nocte fuisse Romæ obsessas. Plura alia exempla recenset Tyræus cap. 31. p. 98. quæ in Papatu acciderunt.

Sed

filio, cui pater Dæmonium imprecatus fuerat. Tyræus ib. p 24. Sic mater quædam filio febricitanti & crebro potanti, ex impatientiâ Dæmonium imprecatur, moxque ille à malo genio corripitur. Id. c. 31. p. 100. De Sagarum præterea veneficiis loquitur urbs Parchumum: fama enim certò refert, pueros istos veneficarum quarundam præstigiis à Satanâ obsidione premi.

XXV. De Satanæ confessione hanc historiam adscribemus ex Theodoreto. *Cùm quædam puella thalamo adhuc contineretur, & repente cœpisset vexari à Dæmone, accurrit pater ad divinum hominem, (Macedonius is erat) orans, & vociferans, & postulans, ut curaretur filia. Is autem, precatus, jussit, ut Dæmon statim abiret à puella. Hic Dæmon dicebat, se eam non sua sponte fuisse ingressum, sed magnis coactum præstigiis, prodebat quoque nomen ejus, qui cöegerat, & amorem esse causam incantationis. Hæc cùm audisset Pater, non tulit iræ impetum, nec exspectavit, ut curaretur puella; mox omnium Magistratuum summum adit: accusat hominem. Rem negabat, & accusationem nominabat calumniam. Hic autem non alium citabat testem, quàm ipsum Dæmonem, qui minister fuerat incantationis, orabatque judicem, curreret ad virum divinum (Macedonium) atque ejus acciperet testimonium. Cùm verò is diceret, non esse fas, nec justum, ut in loco monasticæ exercitationis haberetur quæstio, dixit pater puellæ, se in judicium ducturum Macedonium, & currens persvasit, & duxit: Magnus igitur Macedonius fungebatur officio Judicis, utens ea, quæ intus habitabat, potestate; Jussit igitur Dæmoni, ut consuetum mitteret mendacium, & totam rei veritate narraret tragœdiam. Ille à maximâ adactus necessitate, & virum ostendit, qui ei magicis carminibus vim attulerat, & ancillam, per quam illa potio puellæ data fuerat.* Theodoretus cap. 13. in Macedonio. Tyr. p. 41. Sic dæmon ex juvene illo Ferneliano confessus est, se injectum esse à quodam, cujus nomē non efferret. Fernel. de abd. rer. caus. l. 2. c. 16. p. 373. Et licet Diaboli hominibus sint superiores ratione naturæ, ratione tamen gratiæ homines Diabolos superant. Deinde tenendum, quòd Dæmones non coactè, sed sponte se hominibus submittant,

quia

quia ipsis volupe homines exagitare. Confer. Balduini casus consc. lib. 3. c. 3. cas. 2. p. 623.

QUÆSTIO XIII.

Quid Diabolos moveat, ut homines ingrediantur & obsideant?

XXVI. Impellit ipsos 1. *Justa Dei permissio*: Deo enim frena laxante, humana corpora invadunt, ut supra docuimus. 2. *Eorum erga nos indignatio.* Tantô siquidem odiô erga nos homines sunt accensi, ut nos omnes extinctos velint. *Nam cum non possit Deum impetere Satan, in imaginem ejus evacuavit gravitatem, velut si quis* malus *imatus imaginem petat, cùm Regem non possit,* ait Basilius M. conc. in Lacitis p. 396. 3. *Regni sui amplificatio.* Hic eorum scopus, ad quem in omni actione collimant, ut quàm plures in æternæ damnationis consortium trahant. Symbolum eorum est: *Utinam omnes pereant.* Confer, quæ habet Tyræus l. c. cap. 15. p. 37.

QUÆSTIO XIV.

Cur infantes & pueri etiam à Dæmone corripiantur?

XXVII. PErmittit nonnunquam Deus justissimus Satanæ crudelissimo, ut infantes & pueros quandoque ingredi & obsidere possit, sicut id historia & experientia docet. Augustinus lib. 21. de C. D. c. 18. de hoc miserabili adspectu ita scribit: *Grave jugū, filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ matrem omnium usque adeò impleri est necesse, ut ipsi parvuli, per lavacrum regenerationis ab originali peccato, quo solum tenebantur vinculo, jam soluti, multa patientes nonnulli incursiones Spirituum malignorum patiantur.* Cardanus l. 15. de variet. rerum c. 16. narrat, in orphanotrophio 70. puellas in una nocte fuisse Romæ obsessas. Plura alia exempla recenset Tyræus cap. 31. p. 98. quæ in Papatu acciderunt.

Sed

Sed quid de his dubiis exemplis soliciti sumus, cùm evidentissimum & certissimum in sacro codice habeamus: Christo enim interroganti, quamdiu filius fuerit obsessus, Pater quidam respondit: παιδιόθεν Marc. 9, 21. Quid liberis Parchumensibus evenerit, soli expositum est. Sed quare Deus tàm laxè laxat habenas Satanæ, ut nequidem infantibus & pueris parcat? Augustinus lib. 22. de Civ. D. c. 22. ait, hoc fieri, ut vitæ præsentis miseria, & futuræ vitæ lætitia indicetur. Hieronymus silentium hic imperat in ep. ad Paulam de dormitione Blesillæ *Quæ causa est*, inquit, *ut sæpe bimuli, trimulive, & ubera materna lactantes, à Dæmonio corripiantur? invisibilia hæc inscrutabili Altissimi judicio sunt relinquenda.* Tyræus l. c. p. 100. culpam parentibus confert, qvorum bona sint liberi, in bonis autem, quæ quis malè possidet, justè aliquem puniri posse Confer. Delrio l. 3. disq. mag. p. 1. q. 7. s. 2. p. 429.

XXVIII. Nos dicimus, id à Deo permitti 1. *Ad gloriam & potentiam suam demonstrandam*, quæ potissimum ex conservatione istorum liberorum elucescit 2. *Ad sævitiam Diaboli indigitandam*: cùm enim hic subterraneus Tamerlanus liberis non parcat, exindè facile colligere datur, quantò sit furore percitus, quantò odiò sit inflammatus erga genus humanum, quam crudelem & ferocem animum habeat. 3. *Ad iram suam declarandam.* Nam judicium Domini à domo Dei incipit 1. Pet. 4, 17. Obsessi igitur liberi sint nobis specula divinæ indignationis, & suscitabula veræ conversionis.

QUÆSTIO XV.

An infantes irregeniti pro obsessis sint habendi?

XXIX. Ita Calvini genius nos propter Exorcismum criminari, nobisque istam absurdam opinionem affingere solet. Sed infantes irregenitos non ideò esse obsessos, apparet 1. *Ex signorum negatione*: nullas enim in iis veræ obsessionis notas reperimus, ideoque obsessione non premuntur. Sed objici potest, ex signorum absentia obsessionem non esse negandam, uti diximus th. 16. Verum Diabolus se rarissimè occultat; infantium autem irregenitorum magna habetur copia. Ubi ergò plura dantur objecta, ibi ex signorum absentia obsessio potest removeri, præsertim cùm & aliis

aliis rationibus id fieri posſit. 2. *Ex vocis exorciſmi explicatione* nam idcircò non adhibetur, ac ſi per eum ex infantibus Satan ſit ejiciendus; ſed ut vis peccati originalis ſignificetur, & liberatio ab eâ per Chriſtum indigitetur. Aliud eſt obſidere, aliud in poteſtate habere; Beſitzen/und in Gewalt haben/iſt nicht allzeit eins / inquit Danhav.l.c.p.80. Sic infantes non baptizati ſub poteſtate Dæmonis quidem ſunt, quia filii iræ à natura, Eph.2.3. ſed à Satana non obſidentur. Peſſima igitur vox Baronii eſt, infantes irregenitos, imò omnes baptizatos latenter arreptionem dæmonum pati, ſi intelligat, eos corporaliter eſſe à Satana obſeſſos, ad ann.56.n.12. Nam à propriis gregalibus refutatur. Vid. Tyræus l.c.cap.18.p.49.

QUÆSTIO XVI.

Num omnes Sagæ, malefici, & divinatores à Dæmonibus obſideantur?

XXXI. SAgas & maleficos extra torturam poſitos per ſe non eſſe à Satanâ obſeſſos patet 1. *Ex notarum abſentiâ certâ.* Non excruciantur Dæmone, non loquuntur variis linguis &c. 2. *Ex ſervitute Diaboli externâ.* Adſtat ſagis & exterius iis ſervitia præſtat. 3. *Ex veneficarum pœnâ.* Si enim obſeſſi eſſent, magiſtratus eas non condemnaret ad ignem. In torturâ ſolent nonnunquam dormire nulloſque dolores ſentire; aſt iſtud etiam per externa remedia à Spiritibus malignis perfici poteſt. Danhav.l.c.146. Divinatorum duo genera conſtituit Tyræus: *Quidam enim inhabitantem habent Spiritum*: ut Pythoniſſa Philippenſis, Act. 16.16. & Sybillæ ethnicæ: *quidam verò aſſiſtentem ſeu familiarem* ut Pſeudoprophetæ Achabi 1. Reg 22, 22. & alii. *Priores propriè ignota non cognoſcunt, quamvis revelent. Poſteriores multis modis Dæmonum opera percipiunt.* De prioribus affirmandũ eſt, quòd ſint obſeſſi, quoniã in illis Spiritus malignus habitat, eoſque moleſtiâ aliquâ afficit. Poſteriores autem neutiquam inter obſeſſos ſunt numerandi. Vid. Tyræus cap. 19.& 20. prolixius hac de re agit

QUÆSTIO XVII.

Utrum hæretici verè à Dæmonibus obſideantùr?

XXXI. LIcet id de aliquibus poſſit affirmari, maxima tamen eorũ

pars

pars à corporali obsessione est libera. Et quamquam à Satanâ edoceantur, exinde non statim obsessio corporalis est inferenda, cùm id Diabolus per adsistentiam præstet: Nec obstat, quod primogeniti Diaboli, ἐνδιαβολισμένοι, incarnati Dæmones &c. dicantur: fit enim id hyperbolicè ad fœditatem doctrinæ indicandam. Rectè quidem Tyræus cap. 21. p. 56. statuit: *Quamvis cum Diabolo communionem & consuetudenem habeant hæretici (inprimis ipsorum Duces & capita) obsessi tamen nec possunt nec debent dici propterea, quod vera in ipsis signa, quæ obsessos produnt desiderentur.* Sed in eo falsimoniæ argui potest, quod scribit, *Lutherum pluribus foliis persequi lib. de angul. Missa, quemadmodum Diabolus ad se venerit: se honorificè salutaverit: sibi argumenta plura quibus ad Missam, aliaque veteris disciplinæ dogmata deserenda commotus sit, grandi & terribili voce proposuerit:* impudentissimum enim hoc est mendacium. Nam Lutherus illud expressè non exprimit, sed scribit, Satanam *in corde* cum ipso disputationem instituisse, quod vel tentatio vel aliqua meditatio fuit. 2. Posito, id Sathanam Luthero proposuisse, non statim ex eo sequitur: E. Lutheri doctrina est falsa. E. pactum habuit cùm Diabolo. Spiritus callidissimus alio fine id egisset, ut sc. Lutherum vel à verâ doctrinâ abduceret, vel in desperationem adigeret. Ejusdem farinæ est, quod de Maximiliano I. & Carolo V. scribit Tyræus, *illum* vid. *in humeris Lutheri insidentem vidisse Diabolum; hunc verò eum non hominem, sed Diabolum, qui hominis personam induerit, in publico & solemni edicto appellasse;* purum putum enim est figmentum, & nullo ἀξιοπίςῳ testimonio probari potest.

QUÆSTIO XVIII.

An Diabolus in obsessis tantùm habitet κατ᾽ ἐνέργειαν vel & κατ᾽ ȣσίαν?

XXXII. PRius asserit Autor libri de Eccl. dogmatibus c. 83. Nos posterius affirmamus, quod scilicet maligni Spiritus non modò κατ᾽ ἐνέργειαν; sed etiam κατ᾽ ȣσίαν in obsessis habitent, uti illud probat diserta Christi adsertio, Luc. 11, 26. & Diabolorum ingressio & ejectio Matth. 12, 43. Luc. 11, 14. *Sicut templa piorum sunt*

do-

domicilia Trinitatis & ipsius Sp. S. qui non tantùm secundum dona, sed etiam κατ' οὐσίαν in illis habitat. Joh. 14, 23. 1. Cor. 6, 16 *ita quoque ex contrario obsessorum corpora sunt ex parte Dæmonum domicilia,* ait Gerhardus in Isag. p. 610.

QUÆSTIO XIX.

Num sub spectabili forma hominibus insint Diaboli, & in qua corporis parte latitent?

XXXIII. POssunt quidem Dæmones corpusculum quoddam vel araneæ, vel formicæ, vel muscæ assumere, sed rarissimè id faciunt, quia absque assumto corpore vires suas exerere callent in obsessis. Hoc autem cùm agunt, agunt id vel per singularem Dei dispensationem, ut præsentiam testentur, vel per malam intentionem, ut homines in superstitione confirmentur, qvô fine sub visibili specie in exorcismis papisticis egredi solent De certâ corporis parte, in quâ latitent dæmones, frustrà quærimus: nam Diaboli sunt Spiritus, ideoque certò locô non concluduntur, sed modo aures, modò linguam, modò aliôs artus occupant. Disputat quidem Tyræus cap. 10. pag. 25. non sine ratione eos loqui *qui in corde vel haud procul à corde, dæmones suas sedes plerumque habere arbitrantur*; sed rem in medio relinquens nihil certi determinat.

QUÆSTIO XX.

Utrum semper habitent Diaboli in corporibus, vel num quandoq; recedant?

XXXIV. SIcut Diabolo in omnibus, ita etiam hic ei certi præscribuntur à Deo limites. Permittit Deus, ut semper maneat, manet; vult autem, ut quandoque recedat, recedit. Exemplo est puer obsessus, Luc. 9. 39.. Maximam vim hic infert veritati ex suo fabuloso Bredenbachio Tyræus c. 8. p. 21. *Difficilius sit, scribit, ut ad tempus homines deserant maligni Spiritus, sed tamen fieri qvandoque subjectâ historiâ docemus. Quo die Martinus Lutherus ex hac vita discessit, Dæmoniaci, qui Gheolæ, (Brabantiæ oppidum est (plurimi erant & patrocinio S. Dymnæ, quod jam multi multis annis experti*

erant) libertatem exspectabant, omnes à Dæmonibus liberati sunt & non ita multò post ab iisdem rursus occupati. Res hæc obscura non est. Si quidem postera die, cùm miseros homines rursus crudeles Spiritus torquerent, interrogati; Ubi pridiè delituissent? Responderunt, se mandato Principis sui, ad novi Prophetæ & fidelis cooperarii Lutheri funus evocatos fuisse, eidemq; interfuisse. Confirmavit hanc rem Lutheri famulus, qvi miserè morienti affuit, & cum per fenestram, auræ capiendæ gratia, aspiceret, non sine magno terrore vidit, non semel, plurimos teterrimos Spiritus, haud procul inde saltantes, choreas agentes. Confirmarunt corvi, qui Lutheri corpus, cùm Islebio *Wittenbergam deferretur, magno clamore comitati sunt.* En testes egregios! Dæmoni enim fides adhiberi nequit, cum sit Spiritus mendax, Joh.8,44. Famulus, ut testis unicus, nec unquam certus, non est audiendus. Deut. 19,15. præsertim cùm fide dignioribus adversetur. Corvorum vox non est attendenda: Deut. 18,10. Neque satis constat, an Lutheri funus corvi sint secuti. Tyræus itaque valeat, & melius de Luthero sentire discat.

QUÆSTIO XXI.

Quotuplicia sint mala quæ Diaboli obsessis inferunt?

XXXV. Multiplicia: variis enim modis eos torquent, ut experti norunt. Rationem autem subducentibus, & totũ rei negotium mentis acie percurrentibus qũintuplicia potissimũ se offerunt mala. 1. *Est corporis excruciatio.* Nam vehementissimos in corporibus doloribus excitant per contractionem & distractionẽ per incurvationem & contorsionem, per allisionem & projectionẽ corporis &c. Sic malè affligebat Satan Cananææ filiam, Matth. 15, 22. Sic puerum quendam ita discruciavit, ut in modum uteris totum corpus intumesceret. Palladius in vita Macarii Tyr. c.7.p. 19. 2. *Sensuum privatio.* Nam reddunt eos nonnunquam surdos & cæcos, Matth. 12,22. rabidos & furiosos. Sozomenus lib. 4. c.15. refert, quendam ita dementâsse Dæmonem, ut omnes homines hostes judicaret, gladiô igitur armatus orbem pervolitavit, & quoscunque obviam habuit, vulneravit. 3. *Formæ depravatio:* Os enim

& ocu-

& oculos totamque faciem sic immutant & deformant, ut non sine stupore & maximâ commiseratione intueri aliquis eos queat. Exemplum præbet puer obsessus Marc. 9, 18. 4. *Phantasiæ perturbatio*, ut se bestias putent, feles, canes, lupos &c. Sic dæmoniacus Gadarensis in montibus ut fera degebat, Marc. 5. 5. 5. *Propria trucidatio*; *eò enim*, inquit Tyræus cap. 6. p. 16. *quandoque redigunt mortales, ut omninò sibi mortem consciscere videantur debere: neque id rarò tentant*, ut constat ex Marc. 9. v. 22.

QUÆSTIO XXII.

An semper excrucient corpus obsessi?

XXXVI. POssent id quidem præstare Dæmones, sed Deo sic disponente, non faciunt, *agit enim Satan, non quantùm nititur sed quantùm finitur*, ut Augustinus ait lib. 11. de genes ad lit. cap. 22. Rectè Tyræus. c. 8. p. 20. *Deus non permittit, ut semper affligant. Sæpè ille justitiam suam misericordiâ temperat. Dum justus est, non obliviscitur misericordiæ. Adde, quod nec tantæ hominum vires sint, ut continuas Dæmonum infestationes & molestias ferre valeant. Quid quòd ipsi Spiritus non velint semper molesti esse, ne, scilicet, continuata vexatione vitam obsessorum abbrevient, & sedes suas, quod ægerrimè faciunt, relinquere cogantur.*

QUÆSTIO XXIII.

Num animabus obsessorum Diaboli possint incommodare?

XXXVII. ANimas impias & impœnitentes licet Diabolus in infernum detrudat; pias & fideles tamen animas per se lædere nequit, quanquàm respectu corporis & per accidens detrimentum quoddam temporale iis injungat. *Ut enim dum corpora benè habent, haud pauca ad animas redundant emolumenta; ita afflictis & malè affectis corporibus sua etiam detrimenta sentiunt animæ*: à pietatis enim exercitio retrahuntur & avocantur, maximè quando sensuum officio privantur. Vid. Tyræus p. 1. de Dæm. c. 4. p. 12.

QUÆSTIO XXIV.

Cur Deus obsessionem permittat?

XXXVIII. Non permitteret Deus aliquod malum, nisi aliquid boni ex inde elicere posset, proinde nec Diabolo concederet, ut hominem obsideret, nisi summa Dei providentia ad bonum finem illud dirigere posset. Permittit autem obsessionem 1. *propter gloriæ suæ illustrationem;* Exinde enim elucescit *ejus justitia*, quàm valdè detestetur peccata; *misericordia*, quia multis parcit, nec simili pœnâ afficit; *potentia*, cùm metas metas Diabolo ponat, eumque elapso decreti tempore expellat. 2 *Propter Satanicæ potentiæ demonstrationem*, quæ ex nullâ re magis nobis innotescit quam ex obsessione. 3. *Propter fidei probationem*, sicut id Christus tacitè innuit, quando ex parente obsessi pueri quærit, num credat Marc. 9. v. 23. 4. *Propter vitæ emendationem.* Nam id quærit potissimùm Deus, ut tyrannidem Diaboli perpendentes peccata fugiamus. 5. *Propter pietatis exercitationem*, ut diligenter & ardenter, frequenter & instanter oremus, aliaq; pietatis munia crebriùs & cordatiùs præstemus. 6. *Propter justam peccatorum vindicationem*, quemadmodum illud ex incestuosi exemplo apparet, 1. Cor. 5, 5. Vid. Bald. cas. li all. cas. 7. pag. 633.

QUÆSTIO XIV.

An dæmoniaci ad sacram Synaxin percipiendam sint admittendi?

XXXIX. Ut non omnibus sacra Eucharistia est porrigenda; ita nec quovis tempore ad sacram Synaxin sunt admittendi. Rectè Tyræus cap. 28. p. 80. *Qvamvis Obsessis Communionem sacram porrigi posse dicamus; non dicimus tamen omnibus porrigendam*, sed nec *qvovis tempore, qvibus alioqvi permitti potest, porrigendam. Obsessorum quidam sunt qvos ab ineunte ætate Dæmones possiderunt, & molestare nunquam desierunt, qui præter externam hominis formam, vix quidquam hominis habent: hos, quia à bestiis non multum dixerimus differre, à communione censemus arcendos. Adultorum est hic cibus. Postulat, ut nullus, nisi probatus, accedat. Quod cùm in Obsessis desideretur, non judicamus ad dominicam mensam illos admittendos. Sunt alii, qvi tantas molestias à Spiritibus non patiuntur; sed quandoque requiem habent, sibi interdum relinquuntur, sibi sunt præsentes. Hi,* quia

quia hunc cibum ab alio valent discernere, & ad eundem se tum reverentia suscipiendum præparare; liberè possunt ad ipsum tum fructu percipiendum accedere; veruntamen tunc temporis, quando Dæmones molesti non sunt, nec ulla Sacramento irreverentia timetur. Hanc sententiam roborat 1. *Rei necessitas:* Sunt enim Christiani, ergò ad sacram Synaxin percipiendam obligantur, & quo majori periculo sunt expositi, eò magis sanctæ Eucharistiæ usus ipsis est necessarius. 2. *Rei utilitas:* Nam eô ipsô in fide confirmantur, aliorumque bonorũ compotes fiunt. 3. *Rei antiquitas*: in primitiva namque Ecclesia energumenis communio sacrosancta non fuit interdicta, si Cassiano & Tyræo l. c. fides est adhibenda 4. *Obsessorum dignitas*: nam extra paroxismum constituti dignè se ad sacram Domini mensam præparare, eamque usurpare possunt. Excluduntur autem hic 1. *Infideles non baptizati*, de quibus loqui videtur Dionys. Areop. c. 3. de Eccles. Hier. 2. *Perpetuò à Satanâ divexati*, quia digna præparatio in illis locum non habet. 3. *Peccatores obstinati*, cum sine pœnitentia vivant, & de admissis non doleant. Con. Cas. consc. Bald. l. c. cas. 5. p. 630.

QUÆSTIO XXVI.

An convitia & scelera ab obsessis eructata & perpetrata obsessis imputari possint, & propterea sint puniendi ?

XL. Actiones Dæmoniacorũ sunt duplicis generis, quædam Diabolus in ipsis & per ipsos operatur; quædam verò obsessi per se efficiunt. Ad primum genus pertinent omnes sermones, actiones & dolores, quos Dæmoniaci effutire, subire & sustinere coguntur in paroxismo. Ad posterius spectant actiones naturales & liberæ, quæ ante & post paroxismum à Dæmoniacis fiunt. Propter convitia igitur & scelera, quæ Diabolus in paroxismis per obsessos eructat & patrat, nequaquam Dæmoniaci sunt castigandi & puniendi, quia ipsis adscribi nequeunt. Sicuti enim gladiis non potest imputari, quod homines interficiantur; ita nec Obsessis, quòd Spiritus maligni per eorum linguam blasphemias atque convitia effutiant, & scelera atque flagitia per eorum manus cæte-

cæterosque artus committant. *Hæc causa est*, inquit Tyræus p. 74. *ut ad damna resarcienda non teneantur obsessi, si quæ per illos allati sunt. Sicuti non ipsi sunt, qui peccant: ita nec ipsi damna afferunt, aut corporibus aut fortunis. Quòd si qui ad damnorum restitutionem, quæ per obsessos afferuntur, tenentur; illi tenentur, ad quos Obsessorum cura quovis modo spectabit, & quorum negligentiâ (quam cavere poterant & debebant) damna allata sunt. Hæc denique causa est, cur de obsessis supplicia non sumantur, quamvis maxima per ipsos committantur flagitia &c.* Longè autem diversa est ratio, cùm ante vel post paroxismum contumeliosos & flagitiosos se præbent: licet enim Satanas calcar addat; non sine tamen voluptate & voluntate peccant. In his ergò non magis quam non obsessi, à culpâ & pœnâ sunt excludendi. Singularis tamen cautio & prudentia in Obsessis castigandis est adhibenda. Cùm enim sint miserrimæ conditiones homines, ad vivum omnia resecare non debemus. Atque sic discernendæ sunt actiones Diaboli ab actionibus humanis ne incauti Dæmonibus tribuamus, quæ hominum & hominibus, quæ dæmonum sunt. Toleranda justineamus. & castiganda puniamus. Confer Cas. Consc. Bald. l. c. cas. 3. p. 627.

QUÆSTIO XXVII.

Utrum licitum sit, ex Diabolis per obsessos aliquid exquirere?

XLI. Plerique Pontificii solent esse Diabolorum discipuli, hinc per quàm multa ex dæmonibus per obsessum solent expiscari, ut ex mendacii patre verum exsculpant. Thuanus tom. V. lib. 132. hist. ad annum Christi 1604. p. 136. memorat de *Petro Cottone*, quod Anno 1604. obsessam quandam Parisiensem de multis sit percontatus, & inter cætera etiam de clarissimo Scripturæ dicto, quo Purgatorium & invocatio Sanctorum possit demonstrari. Svadet etiam Tyræus p. 33. & 35. ut ex dæmonibus discamus, quorum sint ordinum, & quot eorum hominem obsideant. Sed nos ab ista curiositate avocat. 1. *Indignationis divinæ gravitas*, quam ex Scriptura perspicere possumus 2. Reg. 1, 3. Es. 8. 19. 2. *Periculi gravitas*: Eva enim cùm colloquium cum Satanâ instituerct, seducebatur, Genes. 3. 2.

nes.3.2.6. Pontificii à Dei verbo abducuntur &c. 3. *Diaboli falsitas & calliditas*: vera namque non loquitur, cùm sit mendacii parens, Joh. 8, 44. Et licet nonnunquam vera proferre videatur, eo fine id agit, ut hominibus imponat, & in errores eos deducat. De Christo Satanam interrogante lege thesin 20. V. Dannhav. l. c. p. 20. &c.

QUÆSTIO XXVIII.

Num omnia sint credenda, quæ Dæmones per Obsessos proloquuntur?

XLII. RARò Diabolus in Obsessis mutus est, sed nunc vindictam Dei prædicit, nunc peccata hominum reprehendit, nunc vitia antehac commissa adstantibus objicit, nunc alia ex ore Obsessorum proloquitur. Sed ut non omnia vera sunt; ita nec omnia credenda, quæ à Satana proferuntur. Pia anima verbo Dei instructa bonæ conscientiæ clypeo se munit, & conciones atque cavillationes Satanæ flocci facit, haud ignara, quòd Deus ad verbi sui prædicationem Diaboli ministero non utatur. Marc. 1, 24.

QUÆSTIO XXIX.

An obsessi in obsessione decedentes possint salvari?

XLIII. DE piis & fidelibus nullum est dubium. De impiis ait Isidorus lib. 3. de S. B. c. 5. *Quidam, quia non corriguntur, immundis Spiritibus ad vexandum traduntur, ut Dæmones arripiendi eos habeant potestatem, terroribusq; eorum afflicti humilientur & pæniteant & salventur.* Confirmat illud exemplum incestuosi 1. Corinth. 5. 5. Quando ergò impii peccata agnoscunt, & in Christum verè credunt, inque verâ fide usque ad finem vitæ persistunt, utique salvi fiunt, quia obsessio corporalis eorum saluti non potest obesse: cum sit castigatio corporalis, & ad salutem promovendam à Deo permittatur. In quibus autem nulla resipiscentiæ signa conspiciuntur, istos meritò juxta verbi divini pronunciatum æternæ damnationi adjudicamus. Conf. Bald. Cas. Consc. l. 3. c. 3. cas. 4. p. 618. b. itemque Tyræum cap. 28. p. 77.

Corollarii loco hic quærimus, an Saul & Nebucadnezar fuerint à Spiritibus malignis obsessi?

XLIV. Tyræus c. 29. p. 86. testatur, *gravissimorum autorum esse sententiam, quod Saul verè fuerit obsessus*. Et c. 48. pag. 177 *Theodoretum, Gregorium, Abulensem, Lyranum & Vallesium* adducit, ut patronos hujus sententiæ. His autoribus fretus *putat, in dubium non esse vocandum, Saulem verè à Dæmonio obsessum fuisse* p. 177. n. 9. De Rege Nebucadnezare idem affirmat c. 29. p. 86. ita enim scribit: *Sententiâ B. Hieronymi est in Danielem, atque Epiphanii in vita Danielis, Assyriorum Regem Nabuchodonosor à Dæmonibus obsessum fuisse. Nec displicet sententia, quoniam non parva obsessi hominis exhibuit indicia*. Hanc opinionem ex parte Saulis stabilire videtur, qvòd dicitur 1. Sam. 16, 14. Spiritum Domini à Saule recessisse, & Spiritum malum à Domino eum admodum perturbasse: Sicuti enim Spiritus bonus Regi adfuit; ita quoq; Spiritus malignus ei adfuisse videtur, videlicet per in-habitationem. Deinde qvia v. 23. legitur, Spiritum malum à Saule recessisse. *Et denique* quod 1. Sam. 18, 10. commemoratur, eundem Spiritum irruisse in Regem. Ad obsessionem Nebucadnezaris confirmandam afferri potest ejus belluina vita, quòd gramen, ut bos, comederit, & sub cœlo, ut fera, vixerit. Sed Sopranes in comm. ad 1. Sam. p. 43. hanc Tyræi sententiam de Saule rejicit, scribens: *Abulensis, Lyranus & alii clarè affirmant, Saulem verè ab hoc die fuisse energumenum & arreptitium. Qvod omninò falsum puto. Vexatum enim tantum existimo à malo dæmone; non qui illum invaserit, & propriè obsederit: sed qui illi institerit & adhæserit, ut carnifex & Dei tortor, pœnas ab arroganti & superbo Rege exigens contumacis animi. Præcipuè autem illum vexâsse, immisso morbo maniaco, quem facile fuit dæmoni excitare, humoribus, unde ille solet existere, perturbatis. Hac ratione possunt fortasse recentiores cum patribus conciliari, qui clarè non asserunt, fuisse Saulem ab hac die à dæmone obsessum; sed tantum vexatum.* Hanc sententiam roborat 1. *Medicorum consilium*, qui virum psallendi peritum ad tristitiam & insaniam Regis mitigandam requirunt 1. Sam. 16, 16. 2. *Scripturæ silentium*, quæ nusquam dicit, quòd Spiritus malignus in Regem intraverit, sed

quod

quòd tantummodo super illum venerit, eumque perturbaverit, quæ omnia exterius efficere potuit. 3. *Retentum imperium*: nam regia dignitate non motus est, cùm eam usque ad extremum vitæ halitū retinuerit, multaq; gessit, quæ obsesso minimè conveniunt. Regem Nebucadnezarem non fuisse obsessum probari potest ex eo, quia id ex verbis Danielis cap, 4, 10. colligi nequit: vesci enim ut bos, & sub dio jacere etiam insanis competit, hinc Lutherus in margine Er wird villeicht unsinnig/ und mit bösen Geistern besessen worden seyn. Accedit & illud, quod v. 31. dicitur, Regem illum ad sanam mentem rediisse. Priorem sententiam ut probabiliorem laudat quidem Dauhauverus l.c.p.147. at nihil certi vult constituere, præprimis quando de Saule disceptatur, pag. 148. Nos posteriorem ut verisimiliorem Scripturæ silentio, aliisque circumstantiis freti defendemus.

SECTIO POSTERIOR,
perpendens
Satanæ ex obsessis profligationem.
THEOREMATA.

I. *Expulsio Satanæ est actio, quâ Diabolus ex hominibus profligatur. estq; vel spiritualis vel corporalis.*

II. *Spiritualis est, quando Diabolus verâ pœnitentiâ abigitur.*

III. *Corporalis est, quando Diabolus ex corporibus humanis ejicitur. Est hæc vel Divina vel humana.*

IV *Divina est, qvam Deus ipse perficit strictissimo suo jure, qvod in Dæmones habet.*

V. *Humana est, qvam homines præstant. Estq; vel legitima vel illegitima.*

VI. *Legitima est, cum licitis mediis Satan propellitur, & dispesci potest in ordinariam & extra ordinariam.*

VII. *Ordinaria est, quæ fit ex fide simplici, per orationem & jejunium.*

VIII. Extraordinaria est, quæ fit ex fide mirifica, per orationem & imperium.

IX. Illegitima est, cùm illicitis mediis Satan ejicitur, est vel magica vel judaica vel pontificia, de quibus in explicationibus.

EXPLICATIO.

XLV. PEnsiculavimus hactenus Satanicæ obsessionis conditionẽ; recto ergò ordine ad Satanæ ex obsessis propulsionem accessum facimus, quæ passim in N. Test. per Græcum verbum ἐκβάλλειν exprimitur, quod non simplicem ejectionem denotat, sed coactam, quæ cùm imperio & hostilitate quadam perficitur: quia enim Satanas quam ægerrimè suas sedes deserit, ideoque vis quædam requiritur in ejiciendis dæmonibus.

XLVI. Definitio posita, quæ generaliter Satanæ expulsionem describit, constat *genere & diff. specifica*. *Genus* est actio: Sicuti enim obsessio respectu Satanæ: ita etiam expulsio in actione consistit, ut ipsum vocabulum satis innuere videtur. *Differentia* autem desumitur ab *objecto & subjecto*. Expulsionis *objectum* est *Diabolus*, qui obsessionem perficit, quocirca etiam est expellendus. *Subjectum* sunt *homines*, ex quibus Satanas profligatur.

XLVII. Quemadmodum autem suprà obsessionem distinximus in spiritualem & corporalem; sic hoc loco expulsionem quoq; dividimus; ast non eo sensu, ac si expulsio corporalis corporalibus mediis fiat, sed quia corpora pro subjecto habet.

XLVIII. *Spiritualis* nihil est aliud, quàm vera & sera pœnitentia, per quam cum peccatis Diabolum abigimus. Ut Angeli sancti adveniunt, & lætantur, homine pœnitentiam agente. Luc. 15. v. 10. ita è contrà Cacodæmones aufugiunt, & tristantur, homine ad Deum se convertente.

XLIX. *Corporalis* quid sit, ex data descriptione facile intelligi potest. Dividimus eam in *divinam & humanam*. *Ad divinam* referimus Christi in ejiciendis dæmonibus potentiam: quam sæpissimè enim in statu exinanitionis dæmonia ex obsessis profligavit, *partim, ut declararet personæ suæ dignitatem*, quod vid. sit verus Messias, de quo in V.T. erat prædictum, eum caput serpentis esse conculcaturum, Gen. 3. 15. Sicut id ex eo quidam Judæorum collegisse videntur; Matth. 21. 23. *partim, ut demonstraret officii sui utilitatem*

ritatem, se ideò in mundum venisse, ut opera Diaboli destrueret, 1. Johan. 3,8. *Ad humanam* reducimus omnem expulsionis modum, quem homines in ejiciendis dæmonibus adhibent, sive is laudem, sive vituperium mereatur, ideoque humanam iterum subdividimus in *legitimam & illegitimam*.

L. *Legitima* nobis est, quæ fit *mediis licitis*, & in verbo Dei fundatis; quia autem Scriptura de duabus rationibus agit, quibus in expellendis dæmonibus homines Dei sunt usi, idcircò legitimam expulsionem dispescimus in *ordinariam* & *extraordinariam*. Ad *ordinariam* requiritur 1. *Fidei simplicitas*: cùm enim impossibile sit sine fide Deo placere, Heb. 12. 6. quapropter nihil à Deo impetrare valemus, nisi firma fide imbuti simus. Et sicuti sine fide in quovis negotio nihil quicquam obtinemus, Jac. 1. v. 7. ita etiam sine fide expulsionem Satanæ minimè perficere possumus. 2. *Orationis sedulitas*, quæ non ad sanctos eum pontificiis, sed ad Deum est dirigenda. Quod autem oratio sit efficax medium expellendi dæmones in quæstionibus confirmabimus. 3. *Vitæ sobrietas* Nam Christus orationi adjungit jejunium Matth. 17. v. 21. *Quidam statuunt*, inquit Gerhardus in Isag. p. 613. *esse in verbis Christi Hebraismum ac figuram ἐνδιαδύο, ut intelligatur oratio ardens ac seria. Quidam intelligunt de pœnitentia, cujus signum ext~~rem~~ernum olim fuit jejunium. Sed nihil obstat, quò minùs in propriâ significatione hîc accipimus. Ut enim Diabolus crapula & libidinibus delectatur; ita jejunium cum piis precibus conjunctum ipsi vehementer est invisum, cùm carnis mortificationi, & Spiritus ad preces ardentiores præparationi inserviat, unde in primitiva Ecclesia usitatum fuit, certos jejuniorum dies indicere, in illis conventus publicos instituere, dæmoniacos in eos introducere, conjunctis precibus pro avertenda ipsorum plaga Deum invocare, Psalmos & hymnos canere, quorum mediorum efficaciam eventus ipsi comprobavit*; Athanas. in Synopsi V. T. Chrysost. hom. 3. de incompreh. Dei nat. hom. 58. Matth. lib. 22. De C. D. c. 8.

LI. Ad *extraordinariam* expulsionem requirebatur 1. *Fides mirifica*, qua Apostoli, paucique alii in primitiva Ecclesia instructi fuerunt, 2. *Oratio sedula*: nam quia potestas ejiciendi dæmones non erat Apostolorum propria, ideoque & illis oratio fuit necessaria, 3. *Imperatio Apostolica*: Diabolis enim in nomine Christi præcipiebant, ut exirent Act. 16, 18. Verùm hæc extraordinaria po-

testas post constitutam Ecclesiam Christianam cessavit. Lutherus in colloq. mens.f. 101. edit. Lips. ita hac de re loquitur: *Nos hodie nec possumus nec debemus Diabolos ejicere certis Ceremoniis & verbis, sicut olim Prophetæ, Christus & Apostoli fecerunt. Sed nostrum est orare in Christi nomine, Ecclesiam ad serias preces sedulò exhortari: ut Deus & pater Domini nostri Jesu Christi misereatur Obsessi, eumq; ab hoc horribili malo liberet. Quod si preces proficiscuntur ex firmâ fide in promissionem Christi recumbente, tùm satis validæ & efficaces sunt, ut cogatur Dæmon ex obsesso discedere, sicut aliquot exemplis comprobatum extat. Alia ratione non possumus Dæmones expellere. Si quis verò immediatè à Deo vocatus & fide miraculosa præditus esset, is posset Diabolos ex corporaliter obsessis ejicere, sicut olim fecerunt Prophetæ & Apostoli &c.*

LII. *Illegitimam* potestatem ejiciendi Dæmones vocamus eam, quæ mediis illicitis & in verbo Dei haud fundatis constat, qualis est veneficorum, Judæorum & Pontificorum.

LIII. *Magica expulsio* est, quâ Magi Dæmones per suas incantationes & præstigias expellunt, estq; potiùs egressio quàm expulsio dicenda, quia Satanas ad imperium & voluntatem suorum sponte cedit. Hanc tempore Christi in Judæâ usitatam fuisse exinde apparet, quia Pharisæi & scribæ dicunt, Christũ per Beelzebub dæmonia ejicere, Matth. 12, 24. Luc. 11, 15. Imprimis autem celebris est Apollinus Thyanæus, de quo Philostratus Lemnius in Apollonii vita lib. 4. c. 6. pag. 235. Is multos sibi discipulos conscivit, de quibus Eusebius in libris contra Philostratum. *Leo Africanus scribit quosdam Magos repertos fuisse, qui post ductos aliquot circulos & characteres in fronte Dæmoniaci, interrogatumq; Dæmonem, eundem ab hominibus exegerunt.* Vide Tyr. c. 34. p. 108. itemq; Bald. cas. consc. cas. 8. lib. 2. c. 3. p. 635. Sed quia Magi in hoc artificio ope Dæmonis utuntur cane pejus & angue hanc artem odisse Christianis convenit. Recte Tyræus cap. 35. p. 111. *Quodcunque hic propositum sit bonum, quodcunque malum caveri possit, permitti non debet, ut opera dæmonum in dæmonibus pellendis quis utatur.*

LIV. De judaica expulsione ita loquitur Josephus lib. 8 antiqv. c. 2. *Præstitit autem Deus etiam Salomoni, ut contra Dæmones artem ad utilitatem hominum & eorum curas, edisceret, & incantationes instituit, quibus adstricti Dæmones, ne denuò redeant, effugantur. Et hæc cura hactenus apud nos multum prævalere dignoscitur. Vidi enim*

quendam

quendam Eleazarum de gente nostro, præsente Vespasiano, & ejus filiis & tribunis alioq; simul, exercitu, curantem eos, qui à Dæmonibus vexabantur. Modus autem medicinæ fuit hujusmodi. Intulit naribus ejus, qui à Dæmonio vexabatur, annulum habentem sub signaculo radicem à Salomone monstratam deinde per nares odorantis Dæmonium abstraxit, & repente cecidit homo. Postea id adjuravit, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab eo inventas recitans. Volens autem satisfacere ac probare præsentibus Eleazarus, hanc se habere virtutem, ponebat ante eos aut calicem, aut pelvim aqua plenam; & dæmoni imperabat, ut ab homine egressus, ea everteret, & videntibus præberet indicium, quòd hominem reliquisset: quo facto sapientiâ Salomonis cunctis innotuit. Hactenus Josephus. Radix illa Baaras dicta fuit, quam Josephus describit lib.7.c.52.de bello jud.itemq; VVierus lib.4.c.18. p.444. Sed hanc dæmones eliminandi rationem quamvis Tyræus cap.34. p.109. divinam dicat: nos tamen eam superstitiosam rejicimus. Aut enim *divina* fuit aut *naturalis*, aut *diabolica*. Non *divina*, quia annulo & radice peracta est. Non *naturalis*, quia *corporea nihil ad profligandos dæmones: nihil ad res, quæ naturæ vires superant, facit*, ipso Tyræo fatente & loquente cap.43. pag.145. E. *Diabolica* fuerit necessum est. Quòd autem à Salomone non fuerit inventa, patet ex Scripturæ silentio, quæ hanc artem inter dona ejus non recenset, 1.Reg.4,29.30. Hinc *Pineda in Salomone prævio lib.3.c.29. & Delrio lib.6.c.2.q.3.s.2.* scribunt eam Salomoni esse affictam Conf. *VVierus* l.c. cap.443. & *Bald.* cas. consl.l.3.c. cas.8.p.636. Ad eandem rem adbibuerunt etiam Judæi *nomen tetragrammaton*: *Cui enim illud scire, aut fari licuisset, qvemlibet eam facultatem adversus Dæmonia assecutum esse testatur Epiphanius agens contra Ebionæos cap.30., & Tyr. cap.34.pag.107.* Sed de illo ita Syxtus Senensis in biblioth. sanctæ lib.2. ad nomen Esdras. *Quicquid prodigiorum fit arte Kabbalistica cùm ligantur Dæmones occulta vi nominum divinorum, Necomanticum esse & magicum, vel ipsa agnovit inquisitio Romana, quæ omnes libros ad Kabbalam pertinenter damnavit.*

LV. Pontificiam quod concernit, non uno modo ea perficitur; licet enim plerumque per Exorcismum dæmonia ejiciant. Tyræus tamen cap.41. quinque diversorum modorum meminit, quibus apud pontificios dæmonia ex hominum corporibus ejiciuntur

untur

antur 1. est, *per Nominis Domini nostri Jesu Christi invocationem.* Hac ratione usi sunt Apostoli & alii sancti in primitiva Ecclesia, Luc.10,17. Marc. 16, 17. Act.16.18. sed non sufficiebat nuda nominis pronunciatio; verum etiam firma fiducia in Christum requirebatur, uti apparet ex Matth. 17. v.20. Nudum nomen dæmonibus, non est molestum aut grave, quia illud aliquoties ex obsessis protulerunt Matt 8,.29. Marc. 1.14. Confer. historiam Actor.19. v. 14. 15.16. descriptam. Quanquam autem Tyræus hanc ejiciendi rationem inter eas numeret, quas Ecclesia pontificia observet, nunquam tamen eam ita adhibent, ut Sancti Dei homines; sed multis superstitionibus exorcisticis permiscent, ut ex thesauro Exorcismorum constat. 2. *per usum reliquiarum.* Hunc modum magni faciunt pontificii: protestatione enim peracta aliquas Sanctorum reliquias huic usui concessas, à collo in pectore dæmoniacorum pendere faciunt Vid. Thes. Exorcismorum pag. 47. Tyreus eum stabilire conatur *primò, Chrysostomi testimonio* c.41.pag.131. Sed ex ejus verbis id neutiquam sequitur, cum respectum ad historias sacras habeat. *Deinde multis Exemplis tam sacris quam profanis* pag. 13.8.&c. Ast Apostolorum vestibus id imputari nequit, sed fides ægrotorum, quia ipse Christus suis vestimentis talem ho orem denegat. Marc. 5. 34. Idem sentiendum de Apostolorum aliorumq; Sanctorum reliquiis si verum est, quod de iis autores referunt. Recentiora autem exempla ut fictitia rejicimus quia hæc virtus jamdudum expiravit, & à suspectis autoribus sunt consignata. *Denique effectis reliquiarum aliis.* At licet per quasdam Sanctorum reliquias potentissimus Deus ediderit miracula, ex g.per ossa Elisæi, 2. Reg. 12,21. exinde tamen non sequitur, omnes fuisse mirificas. Papistarum enim exempla mera sunt nugamenta & nimimè acceptanda. Quam vehementer autem Satanas Sanctorum reliquias formidet, perspici potest ex Ep. Jud. v 9. Et Matth.4. v. 5, Eum se timere talia sæpè fingere, confitetur *Thes. exercis.* p. 302. 3. *est, per sancta crucis impressionem.* Signum crucis legitimè usurpatum nos quidem non improbamus: sed per illud dæmones posse expelli negamus, quia Satanas nudum crucis signum non veretur, uti experientia testatur. V. Danh. l. c. p. 261. Effectus si legitimè consecutus est, non cruci, sed Christo crucifixo in acceptis est referendus. 4. *est, per usum rerum consecratarum.*

Aqua

Aqua enim sal, herbæ imagines cereæ, quas ab effigie ceræ impressa, agnum Dei vocant, aliæque res ab Exorcistis certis precationum formulis consecrantur & benedicuntur, ut iis contra Dæmonum infestationes & molestias utantur. *Thes. ex p. 20. 219.* Sed de hac consecratione non modò Scriptura Sacra tacet; verùm etiam contra legitimum creaturarum usum adhibetur, ideoq; nos eam meritò ut superstitiosam repudiamus. Ad Tyræi fulcimenta destruenda, in quibus occupatur c. 45. p. 154. notetur *initiò*, res sensiles & naturales Dæmones pellere non posse. *Deinceps*, quòd fidéles illicita à Deo non possint precibus impetrare Matth. 20. v. 23. *Porrò*, quòd papistica benedictio à Dei benedictione toto cœlo distet. *Præterea* quòd maledictio aquæ in V. T. pro se mandatum Dei habeat. Num. 5. 18. *Deniq;* magnam esse differentiam inter consecrationem primitivæ Ecclesiæ & benedictionem Ecclesiæ Romanæ. Exemplo autem ab eò adducta vel sunt heterogenea, vel falsitate insigni laborant.

LVI 5. *Est dæmonum per exorcismos adjuratio; in qva* juxta Tyræum pag. 164. *attendenda sunt res & verba. Verba diriguntur 1. ad Deum per orationem & sacrificium Missæ, ut exorcistæ adesse, atque hominem miserum à Dæmonum potestate eripere velit. 2. Ad Sanctos per Litaniam, ut pro Energumeno orent dæmonesq; flagellent. vid. Exorcis. thesaurus pag. 71. 3. Ad obsidentes dæmones per adjurationem, in qua durioribus verbis increpantur. Imperatur iisdem quandoq; ut se prodant, nomen dicant, prodant socios; explicent causas, cur homines ingressi: ex hominibus discedant; infernum petant; discessum suum aliquando signo declarent. Res similiter in Exorcismo variæ sunt, atq; multiplices. Quædam sacræ sunt; quædam signa sacrarum. Sacra sunt sanctissimum Christi corpus, quod sub visibilibus speciebus offertur: Sanctorum reliquiæ, quæ aliquando adhibentur: Aqua benedicta; quâ obsessi asperguntur. Signa rerum sacrarum sunt, Crux maximè, quæ nunc fronti, nunc pectori, nunc aliis obsessorum membris imprimitur. His accedit locus, ubi Exorcismus peragitur: qui plerumque templum est: vestes item sacræ, quibus Exorcista induitur: Stola, quæ aliquando obsessis imponitur: impositio manuum Sacerdotum; cerei ardentes: quæ interdum adhibentur flagella: atque digitorum Exorcistæ in os obsessi immissio.* Sed hic exorcismus non modo non in Scriptura fundatur; verùm etiam Scripturæ contrariatur. Christus dicit Matth. 17.

v.21. Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem & jejunium. Pontifici autem scribunt: Hoc genus ejicitur non solùm per orationem & jejunium, sed etiam per alia media. Credendum igitur magis est soli Christo veraci, quam Pontificiorum turbæ fallaci: **Durch dieses kräfftige und unwiedertreibliche Nisi, wird der gantze Gauckelsack der Päbstischen Abergläubigen Mittel durchlöchert und verworffen/** ait Danhav. pag. 256. Præterea hic exorcismus sapit. 1. *Idololatriam*, quia sancti hic invocantur & idololatricum sacrificium Missa instituitur. 2. *Temeritatem & audaciam*, quia Exorcistæ præter Dei mandatum insultant Satanæ, & potestatem miracula faciendi sibi vendicant. 3. *Curiositatem & imprudentiam*, quia ex mendacii patre verum cognoscere allaborant. 4. *Superstitiosam fiduciam*: Putant enim, dæmones posse expelli per Sanctorum reliquias, aquam benedictam crucem, vestes sacras &c. Deinde etiam Sacramento Eucharistiæ superstitiosè abutuntur præter ordinem & finem à Christo institutum. 5. *Impietatem & malitiam*, quia homines miseros flagellis cædunt, cùm tamen afflictio non sit addenda afflicto, Syr. 4. v.3. *Nec obstat Christi factum*, Marc. 7. v.33. *Tyr. pag.* 173. iste enim ægrotus non fuit dæmoniacus. 2. Christi actiones præter mandatum non sunt temerè imitandæ. *Nihil quoque impedit, quòd multi in Papatu per hunc exorcismum à dæmonibus sint liberati*: nam exempla allegata suspicione non carent. 2. Exorcistæ possunt habere pactum cum Diabolo; sicut id agnoscit *Delrio in anacephalæosi disq. mag. ad lib. 6. monito.* 10. 3. Lubens & colludens interdum Diabolus cedit, ut superstitiosi in superstitione crescant. *Sathan simulat se captum, ut te capiat; se vinctum, ut te vincat, se tuo imperio subditum, ut te sibi subdat*, ait *Henricus de Hassia apud* Delrionem lib. 2. disq. q. 30. s. 2. 4. non sequitur: Hoc modo se expelli patitur Satan, E. hic modus est legitimus; Sic enim & magicus expellendi modus non esset rejiciendus, quem tamen omnes Papicolæ improbant.

QUÆSTIONES.

QUÆSTIO I.

An detur aliqua poteſtas, per quam Diaboli ex hominum corporibus poſſint exturbari?

LVII. UTique. Id enim probant 1. *Scripturæ dicta*, in qvibus vel mentio fit ejectionis, ut Matth. 4, 24. Marc. 8, 29. vel poteſtas expellendi datur, ut Luc. 9. 1. Marc. 16, 17. 2. *Quàm plurima exempla.* Chriſtus aliquoties dæmones ejicit, Marc. 5. 27. c. 6, 8. c. 16, 9. Luc. 11, 14. Diſcipuli ejus idem fecêre ante & poſt aſcenſionem Chriſti ad cœlos, Luc. 10. 17. Act. 5., 16. Paulus non duntaxat Spiritum Pythonem ex ancilla Philippenſi ejecit, Act. 16, 14. ſed ſudariis ſuis quoq; dæmones ex obſeſſis profligavit, Act. 19 v. 12. 3. *Patrum teſtimonia.* Juſtinus de veritate relig. Chriſt. *Ejus,* ſcribit, *nominis (JESU) potentiam dæmones tremunt & reformidant & hodiè quoquè illi per nomen Jeſu Chriſti crucifixi ſub Pontio Pilato, qui Judææ procuratorem egit, adjurati nobis parent.* Tertull. ad Scapulam c. 2. *Dæmones non tantùm reſpicimus; verùm etiam revincimus, & quotidiè traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notum eſt,* Lactantius l. 4. Inſt. c. 27. *Sicut Chriſtus, cùm inter homines ageret univerſos Dæmones verbo fugavit: ita nunc ſectatores ejus in nomine Magiſtri ſui, & ſigno paſſionis ejus eos ab hominibus excludunt.* Conf. Juſtinus in Dial. cum Tryph. Tertull. de coron. milit. & in apol. c. 32. Cyprianus ad Demetr. Lact. lib. 2. inſt. c. 16. Tyræus p. 3. diſp. de Dæm. c. 33. pag. 104.

QUÆSTIO II.

An extraordinaria ejiciendi Dæmones ratio adhuc hodie in Eccleſia vigeat?

LVIII. NEutiquam. Nam illud patet 1. *ex ſpeciali hujus privilegii collatione,* quibus enim Chriſtus præcepit, ut Evangelium per totũ terrarum orbem prædicarent, iis duntaxat hoc privilegiũ conceſſit, Marc. 16, 15. 17. Id autem ſolis Apoſtolis & paucis aliis in

primi-

primitivâ Ecclesiâ mandavit. 2. *Ex sufficienti Evangelii confirmatione.* Hanc ob causam suos discipulos signis & miraculis armavit Christus, veritatem Evangelii demonstrare & confirmare inter credulos & obstinatos populos possent. Consecuto autem fine, media illa non amplius requiruntur. 3. *Ex aliorum signorum cessatione*: quis enim hodie loquitur novis linguis, ut Apostoli? quis venena illæsus arte non præmunitus bibit? quis impositione manuum ægrotos sanat? 4. *Ex perspicuâ Christi dehortatione*: nam Matth. 24. monet, ne signis attendamus.

LIX. Notandum hoc est 1. *contra Tyræum*, qui potestatem hanc extraordinariam nondum vult extinctam. c. 33. n. 8. & 10. p. 106. *Nostris quoque temporibus*, scribit, *in Christi apud Catholicos Ecclesia, hæc potestas est; & eadem illa quæ à Christo suis primùm collata fuit Discipulis & seqventibus seculis perduravit. Quod quamvis qvidam sine ratione negent, probari tamen haud obscurè inde potest; quòd eadem est apud Catholicos, quæ in Apostolis fuit & majoribus nostris orthodoxa fides: quòd idem Catholicis, quod olim illis fuit propositum, denique quòd non alio ferè modò, quàm olim ad Dæmones expellendos adhibeantur machinæ & tormenta.* Sed Pontificii non habent 1. orthodoxam fidem, quia in meritis bonorum operum salutem quærunt, contra Rom. 3. 28. &c. 2 Eorum exorcismus primitivæ Ecclesiæ exorcismo non respondet, sicut Tyræus ipse indigitat c. 46. p. 163. ubi scribit: *Porro non una semper eademque hujus rationis dæmonia ejiciendi* (sc. per exorcismum) *fuit forma. Olim ferè paucioribus rebus videtur constitisse, nunc qvandoque plura adhibentur, quod non tam facili modò quam olim à dæmoniis corpora videantur liberari.* 3. Ipse Jesuita Maldonatus Christi promissionem Marc. 16. 17. ad priora Ecclesia tempora restringit in comm. ad Marc. 16. p. 807. 2. *Contra quosdam Lutheranos papizantes imperiosè per flagella aliaq; illegitima media Satanæ exitum imperantes.* Horum arte ad expellendum Satanam non esse utendum, docet Balduinus in cas. consc. l. 3. c. 3. cap. 10. p. 640.

QUÆSTIO III.

Quo pacto Dæmones hodiè sint expellendi?

LX.

LX. **F**Ideli & piâ precatione: id enim Deus præcepit, *Psal.* 50. v. 15. id præsens Ecclesiæ status requirit, cujus arma sunt preces & lacrymæ. Dæmones autem per orationem expelli posse, constat 1. *Ex Christi assertione,* Matth. 17, 21. Marc. 9, 29. 2. *Ex precum operatione.* Joh. 16, 23. Jac. 5, 16. 3. *Ex historica relatione.* Cananæa precibus impetravit liberationem filiæ à dæmonio, Marc. 7. v. 29. Sic parens obsessi pueri precibus à Christo contendit, ut filium è potestate Satanæ eripiat, & voti damnatur, Matth. 17. v. 15. Hic expellendi modus etiam in antiqua Ecclesia observata fuit. *A nobis,* inquit Minutius Felix in Octavio. *tormentis verborum & orationis incendiis exiguntur.* Cyprianus scribit ad Demetr. *Dæmones exire coguntur spiritualibus flagris & orationis flagellis.* Origen. in c. 17. Matth. *Si qvando nos oportet obsessis epitulari, non loqvamur cum Spiritu vel adjurando vel imperando, qvasi nos audiat, sed tantùm precibus vel jejuniis incumbendo perseveremus.* Sozom. lib. 6. c. 28. de quodam viro in Ægypto scribit, *quòd precibus solùm morbos & dæmones expulerit.* Idem Lutherus non modo svasit in colloq fol. 204. edit Isleb. sed opere implevit. vide Bald. casus consc. l. 3. c. 3. cas. 11. p. 646. Orandum autem est, ut brevi me expediam 1. *Ardenter & unanimiter,* quod fiet, si tota Ecclesia devotas preces junget juxta monitum Jacobi c. 5, 14. & promissum Christi, Matth. 18. 19. 2. *Frequenter & fideliter*: nam fides est anima orationis, frequensq; repetitio gratiam ei apud Deum conciliat. 3. *Instanter & conditionaliter*: quia enim expulsio Satanæ est corporale beneficium, ideoque cum conditione petendum est, sed non sine perseverantia. Qualis processus cum Obsessis sit instituendus ex Wieri lib. 4. c. 21. & subseq. ostendit Bald. l. c. p. 643.

QUÆSTIO IV.

Quare Deus non statim exaudiat preces & dæmones ex obsessis ejiciat?

LXI. **C**Erta quidem hujus dilationis causa in certis casibus dari neqit; attamen dici potest, quod Deus plerumque differat suum auxilium. 1 *Ut declaret suam erga peccatores iracundiam*: nisi ergò per veram pœnitentiam tollantur peccata, hoc malum tolli nequit. 2. *Ut probet nostram in orando constantiam,* sicut id perspici

 potest

potest ex muliere Cananæa, Matth.15,21. 3. *Ut exploret nostram in dolendo patientiam.* 4. *Ut avertat securam in peccando malitiam* 1.Pet. 4.v.1. Prorogationis hujus causa adsignari etiam potest *tùm nostræ in petendo incredulitati*, Matth.17, 20. *tùm divinæ in decernendo voluntati*: quemadmodum enim obsessionis causa occulta esse potest; ita dilationis causa sæpe numero est occulta, licet non sit injusta. Instantes idcircò precibus cum patientia liberationem expectemus. Certò Deus nos exaudiet, si non ad voluntatem, attamen ad utilitatem. Conf Tyr. c 46.p.173. Bald.l.c.p.648.

QUÆSTIO V.

An corporalibus mediis ex humanis corporibus dæmones pelli possint ?

LXII. Quanquam eorum domicilium medicamentorum virtutibus possit labefactari, ut vires suas pro lubitu exerere nequeant, detractis & mitigatis corporis humani humoribus; nullo tamen modo per corporalia media expelli possunt. *Sunt enim creaturæ spirituales, in qvos res sensiles non agunt*, ut loquitur Tyræus c.48.pag.176. *Spiritus sunt dæmones*, ait VVierus 4.l.c.16. de præst. dæm.p.437. *qui ut nullis alliciantur plantis vel terrenâ substantia, ita nec fugantur: etiamsi plerumque apud suos cultores, se aliquorum potentia invitari, allici, trahi, cogi, vel etiam abigi, ut impia credulitate eos sibi magis obstringant, fraudulenter simulent.* Nec impedit exemplum Saulis, 1. Sam. 16, 23. nos enim 1. ejus obsessionem in dubium vocamus. 2. David tantummodo dulci cytharæ sono insaniam ac furorem ejus mitigavit, ut annotat Brentius in h.l.p.581. Non obstat etiam liber Tobiæ cap.6,9. est enim liber apocryphus, qui ἀσύμφωνα continet, cum capite 8, 3. dicatur, non fumum, sed Angelum profligâsse dæmonem. Neque denique obstat radix Baaras, quâ Judæi usi fuêre: mera namque incantatio fuit. Errant ergò Papicolæ, qui certis odoribus, saporibus &c. dæmonem expellere tentant, ut ex thesauro Exorcismorum hinc & inde constat.

QUÆSTIO VI.

Num hæretici possint expellere dæmones ?

LXIII.

LXIII. Utique, quia pactum ipsis cum Diabolo potest intercedere, ut lubens ex corporibus emigret. Deinde etiam id præstant venefici, ipso fatente Tyræo c. 19. p. 108. quidni E. etiam hæretici? Tyræo autem illud neganti c. 40. p. 127. opponimus Maldonatum, qui id ipsum ex c. 7. Matthæi evincit, in comm. super Matth. c. 7.

QUÆSTIO VII.

Quare Diaboli ex hominum corporibus ægerrimè discedant?

LXIV. Quòd dæmones ex hominibus inviti exeant ex græco verbo ἐκβάλλειν colligi potest, quod sæpe in N. Test. occurrit, itemque ex locis Marc. 5, 26. Matth. 8, 29. Ægerrimè enim sedes suas relinqvunt, quia nihil magis in votis habent, quàm ut homini noceant & molestiam exhibeant. Plura de hac quæstione habet Tyræus cap. 49. & 10. pag. 181.

QUÆSTIO VIII.

An ex certis signis possit animadverti, dæmones ex corporibus discessisse?

LXV. Tyræus cap. 52. multa enumerat signa, quæ partim ab Exorcistis extorquentur, partim ultro à dæmonibus eduntur. Sed quia ista signa non sunt perpetua, atque ex parte superstitiosa, ideoque meritò â nobis repudiantur. Discessum autem Diaboli quodammodo intelligere possumus. 1. *ex tormentorum fine*, quando longo temporis intervallo interjecto consuetos cruciatus non sustinent. 2. *Ex obsessorum facie:* naturalem enim formam nonnunquam recuperant & pallorem exuunt. Solent etiam frontem exporrigere & lætitioris animi esse. Ast magna hic requiritur cautio, ne judicium præcipitemus. Satius est preces prorogare, quam ante tempus abrogare.

Ad

Ad supplendam paginam duo adhuc breviter excutiemus: An homini Christiano licitum sit auxilium contra obsessionem apud Medicos, & Pontificios Exorcistas quærere?

LXVI. Diximus supra, quod res corporalis nihil ad exterminandos Diabolos faciat, ideoque ex eo colligi potest, frustra auxilium apud Medicos in obsessione quæri. Sed quoniam sæpissimè fit, *ut Dæmones eos frequentius invadant, in quibus atræ bilis major copia, quia succus ille cumprimis illi videtur idoneus ut homines in furorem & insaniam vertantur, unde illis potissimùm insidiantur, & morbos inferunt melancholicos*, ait Gerh. in If. p. 611. *Humori melancholico, uti materiæ suis ludibriis consentaneæ, Diabolus se insinuat libentissimè*, scribit Wier. l. 3. c. 19. p. 360. de dæm. præst. Licet igitur Medicorum operâ ad expellendos Dæmones uti nequeamus, tamen est adhibenda, *ut succos malignos commodis medicamentis expurgent*. A posteriori nos dehortatur 1. *Scripturæ autoritas*, quæ communionem cum Pseudoprophetis interdicit Matth. 7. 15. 2. Johan. v. 10. 2. Corinth. 6, 15. 2. *Suspicionis gravitas*, quia hac ratione suspectum reddimus nostram fidem, ac si colluderemus cum Pontificiis 3. *Exorcismi vanitas*: est enim res superstitiosa & phantastica.

Christo summo nostro Doctori & Ductori sit gloria & gratia.

